
De rerum transmarinar... qui Guilelmum Tyrium excepisse ...

Ludwig Streit


HARVARD UNIVERSITY LIBRARY
VE RI TAS
FROM THE LIBRARY OF
COUNT PAUL RIANT
MEMBER OF THE
INSTITUTE OF FRANCE
HISTORIAN OF THE
LATIN EAST
MDCCCC
GIFT OF J. RANDOLPH COOLIDGE
AND ARCHIBALD CARY COOLIDGE



DE

RERUM TRANSMARINARUM

QUI

GUILELMUM TYRIUM EXCEPISSE FERTUR

GALLICO AUCTORE

SPECIMEN

SCRIPSIT

LUDOVICUS STREIT

MONACHOMONTANUS

GRYPHISWALDIAE

CIƆIƆCCCLXI

FRANCOFURTI AD VIADRUM
TYPIS TROWITZSCHIANIS

CAROLO · HOPFIO

SACRUM

Medii aevi literarum monumentis eamdem atque in antiquitatis quam proprie dicimus reliquiis tractandis philologi iam dudum solebant exercere diligentiam artemque criticam impertiri et posse et debere ex quo satis est perspectum, paene tota Europa extiterunt accuratius emendata ac redintegrata illius aetatis opera sive ob sermonis praestantiam sive ob rerum gravitatem digna quae sub adspectu ponerentur omnium. Qua in re utpote religiosa quum unitis versari viribus populares quam maxime deceat, nostris profecto superioribus studium tam subtilitate quam doctrina contigisse novimus plane singulare per Lachmannos et Pertzios. Ac Pertzii quidem exemplum aliarum quoque nationum homines docti imitati non sine fructu sunt. Nec tamen defuerunt, qui non semper id animo infixum tenerent, quamvis artis illius criticae regulae et normae literis patriis aeque ac Graecis et Latinis conveniant,

eis utenti saepenumero paullo diutius subsistendum esse in primo officio, quo ipsa antiquitate in multis libris grammaticos functos esse constat, difficiliore interdum inter propagationis genera discernendi negotio, quo instaurandis monumentis assequamur fundamentum. Quod negotium praecipue in libris vernaculo sermone conscriptis ideoque quod illos nemo non intellegebat facile ubicunque gentium vulgatis factitandum esse vix quisquam negabit. Talium enim operum contextum mutare hic illic non nulla addere detrahere inserere librarii ex suo quisque intellectu facillime poterant: praesertim soluta oratione compositorum ordo sine ulla describentium aut legentium molestia confundebatur, toto denique ambitu sive casu sive de industria perturbato auctoris manus ita obliterari coepta est, ut non sine quadam sagacitate recognosci queat. Quodsi forte fortuna exemplar, quod etsi non aetate ceteris praestat at certe integritatem archetypi aequare videtur, temporum iniquitatem tulit, hoc solo opinor utendum erit, quo scriptoris indolem consilium dicendi genus perspiciamus: reliqua secundo vel potius inferiore loco erunt ponenda, licet vetustissima specieque sint amplissima. Quorum virtutem integro quodam codice comparato, nisi quis praeiudicata opinione prohibetur, recte aestimabit: neque enim posterioris cuiuslibet censoris

et corruptoris opera providentem fallet. Fefellisse tamen etiam nostris diebus talem operam viros quosdam doctissimos expertus sum, quum recensenti fontes ad quartae, quae putatur, sacrae expeditionis historiam pertinentes in manus mihi venit Heraclii qui appellantur librorum editio nuper ab academia Parisiensi instituta. Unde quamquam magnus percipi fructus potest, si quis de rebus agit inde ab ultimo saeculi duodecimi decennio usque ad annum CIↃCCLXXVII gestis in Syria Aegypto Armenia Cypro (Cypriarum rerum auctor recentissimus et locupletissimus luculento id demonstrat documento) ea tamen quaestio de gallico qui Guilelmum Tyrium excepisse fertur scriptore diu multumque tentata, quum sensim solvi incepisset, in casum reiecta est nec definitum nec quem futuro tempore oblatum nobis iri certo quis affirmaverit. Quare quum et ipsa hac editione editorum opinionem funditus everti sanamque et a prudentissimis quibusque acceptam sententiam defendi sensissem de narrationis cui dum hi lucem afferunt illi eripiunt et quasi noctem quandam offundunt origine denuo quoad pro viribus meis possem inquirere statui hacque edendi libelli occasione examinabo de illa quid falsum protulerint quid certum quidve probabile dicendum sit.

Siquid vero profecisse videbor, ad Carolum id

Hopfium referri totum volo, qui summa me liberalitate et suis libris et aliunde comparatorum copia adiuverit. His enim subsidiis et patris optimi, qui regiam bibliothecam Berolinensem adeundi facultatem dedit, ope si destitutus fuissem, ne unum quidem huius caussae locum tractare potuissem. Itaque etiam ab eis veniam impetrare licebit, qui libros quosdam haud ita raros mihi defuisse animadvertent, velut Guilelmi Tyrii quam Migne instituit editionem et Alphonsi X. corpus transmarinum a Paschali de Gayangos denuo in lucem productum.

Peut être dans la continuation de l'España Sagrada de Florez

Scrib. Gryphiswaldiae a. d. XI. cal. Mart.
a. CIƆIƆCCCLXI.

Ingressio.

Guilelmus Tyrius, rerum transmarinarum auctor unus omnium praestantissimus, quem urgentissimo patriae amore instante a se compositum esse ait (p. 626 ed. Bong.) librum, quantam is laudem apud posteritatem consecutus sit quamque saepe a posterioribus sacrarum expeditionum scriptoribus accitus fuerit, post Bongarsium (Gesta Dei per Francos. Hanov. 1611. fol. praef. s. XI.) luculenter ostendit Sybelius (Geschichte des ersten Kreuzzuges. Duesseld. 1841. 8. pag. 149 sqq. 158 sqq.). Neque tamen hic nec quisquam de superioribus alius satis animadvertit usui illi frequentissimo gallicam intervenisse interpretationem, quae iam a Bongarsio non sine commodo in edendis Guilelmi libris adhibita nostra demum aetate, postquam alii alia ex magna quae etiamnunc superest codicum manu scriptorum copia produxerunt (velut Petit-Radel ex cod. Paris. bibl. imp. 6744 in hist. lit. Gallic. XVIII. p. 420, 422, 429), ex academiae Parisiensis instituto a Beugnoto viro eximii ingenii edita est. (Recueil des historiens des croisades. Historiens occidentaux T. I. Paris. 1844. fol.) Itaque iam omnibus facile licet iudicare, quae ex textu latino quaeve ex gallico a variis sint hausta, neque nunc vacat plura quibus Beugnoti de interpretationis auctoritate confirmetur sententia exempla afferre, nisi unum quod novi vetustissimum idque ita comparatum, ut quando illa confecta sit, accuratius inde definiri posse videatur.

Etenim qui gesta Ludovici VII. (in script. rer. Gall. ed. Duchesne t. IV. p. 390 sqq.) composuit, eum Tyrio usum esse iam Wilkenius (comment. de bellor. cruciat. ex Abulfeda histor. Gott. 1798. 4. p. 15) affirmaverat, pluribus effecit Phil. Jaffeus, (Das Verhältniss der gesta Ludovici VII. zu Wilhelm von Tyrus in Schmidtii annal. hist. II. p. 572—577.) cui si Beugnoti editio praesto fuisset, aliud et certius quidem iudicium evasisset: uno, quem miratus est, de Attalia (p. 400 cf. Guil. Tyr. XVI. 26) loco potuit demonstrare interpretationem illorum fontem fuisse. Nimirum qualia nunc extent, integra in latinum sermonem conversa esse iam is, qui gallicum textum edidit (les grandes chroniques de France t. III. Paris. 1837. 8.), Paulinus Paris vidit (v. add.).

Guilelmi interpretatio quam studiose lectitata fuerit a saec. XIII.[1] initio usque ad saec. XV.[1] exitum, multitudine demonstratur exemplarium, quae etiamnunc non solum in Francogallia verum etiam in Italia Helvetia Belgica Britannia extant et variis praeter usum non rarum scriptorum testimoniis: qui quum nec Guilelmi neque interpretis nomen loco insigni inscriptum cernerent, simplici significatione adhibita provocare assolent ad librum conquistus ultramarini, le livre dou conqueste, il libro del conquisto oltre mare, τὸ βιβλίον τῆς κουγκέσταις. Quales titulos ne ad Guilelmi opus omnes respicere dicas, ideo providendum est, quod eisdem usi non solum ad consociatas quasdam cum gallica interpretatione unumque ad corpus coactas narrationes referunt, sed etiam alia corpora huic quasi cognata intellegi volunt. Etenim Alphonsus X. rex literarum amantissimus quum sacrarum expeditionum historiam quam amplissimam conlegi et edi iussisset, quibus id officium commissum est, ut primarium fundamentum ac fontem Guilelmi libros in gallicum conversos adhibuerunt,[1]) sicut paullo post idem factum est in Balduini Avennensis qui

[1]) C. Ticknor, Geschichte der schönen Literatur in Spanien, deutsch von Julius. Leipzig. 1852. 8. I. p. 40 adn. II. p. 666.

dicuntur libris componendis. Utriusque corporis compositores addiderunt quae alibi parata viderunt, velut Godefredi de Villa Harduini egregiam narrationem ambo carpserunt, alter etiam Henricum qui illum excepit. Cum quibus imperii Byzantii a Francis occupati historicis tertio operi illa Alphonsi et Balduini aetate confecto ac simili appellatione significari solito arctior quaedam intercessisse videtur familiaritas. Habemus igitur quattuor corpora expeditionum sacrarum historiam complexa et vulgari sermone saec. XIII.° conscripta, quorum tribus saltem nomen illud quod saepissime occurrit conveniat. Atque illud quidem quod terrae sanctae res non respexit Buchonium[1]) diligentissime, sed frustra quaesivisse constat neque ad hodiernum usque diem quisquam repperit. Alphonsi liber quamvis iam ante hos CCCL annos plenus in lucem emissus sit,[2]) plurimorum, quum rarissimus extet, aspectui detrahitur. Balduini opus[3]) inspicere eis tantummodo licet, qui adire possunt bibliothecas Parisienses Bruxellanam Monacensem similes, praeterquam quod particulae quaedam inde excerptae a pluribus publicatae sunt.[4]) Itaque quarto corpori, Heraclii qui vocantur libris, fortuna videtur maxime secunda fuisse, quod et codices

---

[1]) La Grèce continentale et la Morée. Voyage, séjour et études historiques en 1840 et 1841 par J. A. Buchon. Paris. 1843. 8. p. 318.

[2]) La gran conquista de oltra mar. Salamanca. 1503. fol.

[3]) Ad Balduinum quoad nunc potest affirmari pertinent codices Parisienses bibl. S. Germ. 84, 660, 1566; bibl. imp. $8315.^{7}$ $(8380^{3.3})$, $10197^{2.2}$ (v. Leclerc in hist. lit. Gall. XXI. p. 758 sqq.), Leidensis 57, Bernensis 77, Bruxellani 10233—36, 10478—79, (v. Leclerc l. a., Reiffenberg in Comptes rendus VI. p. 281), Monacensis 52 (cf. censor in Zarnckii comment. liter. a. 1856 p. 425).

[4]) Buchon in Collection des chroniques nationales. Paris 1828. 8. III. p. 275 sqq. Recherches historiques sur la principauté française de Morée et ses hautes baronnies. I. ép. t. I. Paris 1845. 8. (app. II.) p. 505 sqq. Leclerc l. a., Mas-Latrie, Histoire de l'île de Chypre sous le règne des princes de la maison de Lusignan. II. Paris. 1852. 8. p. 49 sqq. Tafel et Thomas, Urkunden zur ält. Handels- und Staatsgesch. der Republik Venedig. t. I. (fontes rerum Austriac. Sect. II. t. XIV. vol. I.) Wien. 1857. 8. p. 328—358. Textus latini specimina ediderunt Le Roy Antv. 1693. Brux. 1716. fol. Dacherius Spicilegium. t. III. Paris. 1723. fol. p. 286 sqq. Leibnitius (ex cod. Alberici chron.

quam plurimi aetatem tulerunt et editione absolutum splendidissima (Recueil des historiens des croisades. Historiens occidentaux. Paris. T. I. 1844. T. II. 1859. fol.) omnes nunc sibi comparare possunt.

Quodsi iam quaerimus, cuinam singula scriptorum testimonia operi adtribuenda sint, ille, quem librum conquistus imperii Romani brevis commentarii res a Venetis ac Francis in Romania saec. XIII.° exeunte et ineunte XIV.° gestas complexi (Godefredo de Villa Harduini quum in codice — nunc Paris. bibl. imp. 6921 — quo Ducange usus est tum in editione[1]) appendicis loco additi) auctor diserte vocat, intellegitur etiam in libri consuetudinum[2]) de Balduino II. verbis „e si andò in ponente siccome in lo libro della Conquista apertamente si declara" (p. 499). De eodem imperatore disserens Joannes Villanius (V. c. 28) si quis plura quaerat, „legga" ait „il Libro del Conquisto d'Oltramare." Atqui is potius aliud corpus sive Alphonsi sive primarium gallicum librum respexit. Hic praesto erat etiam Marino Sanuto Torsello, ut omnino recte Beugnotus (praef. p. XXV.) iudicavit unius loci (secret. fidel. cruc. II. 2. c. 6 p. 44 Bong.) ratione habita. Minus enim accurate Kunstmannus (in studiis de Marino Sanuto comment. acad. Monac. cl. hist. t. VII. a. 1855 insertis p. 733) librum ultramarini conquistus (epist. e codd. Bruxell. ed. II. p. 771 cf. ep. VI. p. 800, „ut reperitur in libro conquisitionis terrae sanctae per gratiam dei" ep. VI. p. 805), Guilelmi opus esse dixit, quoniam Sanutus eadem significatione usus res longe post Tyrii

continente, nunc Hannoverano, cf. Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde. t. X. p. 354) ad calcem ed. Alber. in access. hist. t. II. Lips. 1698. 4. p. II. p. 579—582.

[1]) Ed. Ducange. Paris. 1657. p. 230 sqq. ed. Buchon (in Recherches et matériaux...) t. II. Paris. 1840. p. 9—11. Auctor, qui „Andronicus" inquit „nunc regnat filius filii Chyer Andronici" [II.] ideoque ante a. 1341 scripsit, est, ut mihi Hopfius persuasit, Marinus Sanutus Torsellus.

[2]) Barbarorum leges antiquae ed. Paulus Canciani. Venet. 1785. fol. T. III. p. 493—535.

obitum gestas attulit in historia Romaniae,[1]) cuius libri ab indefesso expeditionis a Christianis instituendae instigatore c. a. CIↃCCCXXXIV. compositi interpretationem italicam (cod. Venet. bibl. Marc. it. cl. VII. 712) iniquo iudicio damnatam quaeque inspiceretur indignam visam ab isto primus vindicavit Carolus Hopfius, vir celeberrimus. Namque in altero loco (fol. 25) de variis nuptiis Sanutus loquitur Manuelis Comneni opera initis secundum ea, quae invenerit „nel Libro della conquista d'oltre mare,“ ac duas quidem Guilelmus (XVIII. 31 XX. 1) commemorat, contra quod ille imperator filio Francogallorum regis filiam[2]) locasse, haec postea capta Constantinopoli a Francis reperta et nobili cuidam homini in matrimonium data esse narratur, his similia in libris illius nemo quaeret. Leguntur in eis, qui his additi sunt, lib. XXIX. c. 13 p. 289 ed. acad. Paris. cf. XXIII. c. 12 p. 17. Alter locus (fol. 3) est de Ludovico IX., qui ex captivitate redux in terra sancta varia praesidia munivisse traditur, „come si legge in scritture, e precipuè nel Specchio istorial e nel Libro della Conquista della Terra Transmarina.“ Quibuscum si libros Heraclii (XXXIV. 1 p. 438 sqq.) contuleris, hos intellegi facile concedes.

Certius illi significantur in assisiis quae dicuntur Hierosolymitanis (ed. Beugnot. T. II. Paris. 1843. fol. p. 195: assises de la cour des Bourgeois c. 259) „ce droit establi li rois Foucon qui puis moruth au fierge après un lievre, que il chassit, si com devèse au Livre dou reaume de Jerusalem“ (cf. XV. 27) et (t. I. 1841. p. 429: assises de la haute cour,

[1]) Cf. de hac istoria del Regno di Romania sive Regno di Morea diar. univ. August. a. 1855 d. 21. m. Oct. p. 4698 sq. et Bulletin du comité de la langue, de l'histoire et des arts de la France. T. III. 1. p. 12 sq. Specimen edidit Petrus Mugna in menstruis lit. Taurinensibus (rivista contemporanea) fasc. 15 (Jul. et Aug. 1854). 8. p. 1062—1073.

[2]) Cf. quae secundum Rigordum praebent les grandes chroniques de France publ. par M. Paulin Paris. t. IV. Paris. 1838. 8. p. 123. Vid. etiam Alberic chronic. ed. Leibnit. II. p. 343.

livre de Jean d'Ibelin c. 273) „le rei Heimeri de cuis noz trovonz ou Livre dou Conquest" (cf. Beugnot. l. a. II. p. 195 not. e.): item in chronicis Moreoticis a Buchonio editis, gallico (ed. a. 1845) p. 2: „selonc ce que la grant estoire dou réaulme de Jherusalem nous raconte et tesmoigne," graeco (ed. a. 1845) prol. v. 91, 92:

Καθῶς ἐγγράφως ηὕρχμεν λεπτῶς εἰς τὸ βιβλίον
τῆς κουγκέστας ὁποῦ ἔγεινε ἐτότες 'ς τὴν Συρίαν.

Eundem librum in manibus habebat Ricordanus Malaspina et de capta Constantinopoli locutus verbis respexit hisce „chi queste storie più pienamente vuole trovare, legga il libro del conquisto d'oltre mare, dove distesamente parla" (hist. Florent. c. 96 ap. Murat. VII. col. 94). Ut autem Florentinus ille Guilelmi continuationem eadem appellatione atque ipsius libros alii significavit, sic similis quae his apta est inscriptionis exemplum reperitur, ubi Joinvillaeus rerum post Tyrii mortem factarum narrationem exscripsit (Recueil des histor. des Gaules et de la France. t. XX. Paris. 1840. fol. p. 202 sq. ed. Michel. Paris. 1858. 8. p. 25): „Et le roy Richart demoura en la sainte Terre et fist tant des granz faiz que les Sarrazins le doutoient trop, si comme il est escript ou livre de la Terre sainte [duo libri: de l'histoire de la Terre sainte, Ducange et Petitot p. 193: de l'Istoire du veage de la sainte Terre] que quant les enfans aux Sarrazins braioient, les femmes les escrioient et leur disoient: „„Taisiez vous, vez ci le roy Richart..."" (cf. ed. acad. cod. G. p. 182 C. p. 183 A. et B. XXVI. 10 p. 189 D. p. 198.)

Sed hic liber terrae sanctae fortasse Guilelmi interpretatione carebat. Etenim praeter Heraclii libros etiamnunc aliquot codices illa, quae Ludovici IX. comiti ante oculos versabantur, continere etsi nemo affirmavit, dubitari tamen nequit. His qualis cum transmarino corpore intercedat condicio, nequaquam satis adhuc exploratum est, quoniam illi quibus hoc officium commissum videbatur (cf. Paulin. Paris les manuscrits françois

de la bibl. du roi. t. VI. Paris. 1844. 8. p. 133) ut accuratius enucleaverint tantum abest ut ne in generali quidem loco via ac ratione inquisiverint. Nimirum eo pervenerunt, ut iterum atque iterum a superioribus explicata confunderent et totius quaestionis proventum interciperent. Hoc eo gravius est ferendum, quo maiore illi apud omnes fruuntur auctoritate quoque plures metuo ne secum trahant. Arduum igitur multis fortasse appetere videbor, qui minus adhuc exercitatus celeberrimorum virorum adversarius existam. Qua de re hoc me omnino consolatur, quod hominum non minus eruditorum iudicio nitor hancque quam defendam rem luce fere clariorem esse video. Itaque ab initio, quo melius disputatio procedat, breviter superiorum sententias recensebo (cap. I.), tum ad ipsam caussam ita aggrediar, ut primum de totius corporis transmarini compositione disseram (cap. II.), deinde narrationis, quae primae continuationis loco habetur, originem et propagationem investigare studeam (cap. III.), denique scrutari incipiam, num certa quaedam illi cum Guilelmi Tyrii historia intercedat condicio quidve auctor secutus sit (cap. IV.)

Superiorum Sententiae

Caput I.

~~De totius corporis transmarini compositione~~

Ac primum quidem quarum aggredimur enarrationem sententiarum quae per duo fere saecula de gallico cui suum denuo ius vindicandum est scriptore prolatae sunt, eas etsi non omnes at plurimas certe memoratuque maxime dignas examinabimus quaeque iniustis iudiciis ille passus est breviter delineabimus: sunt autem ex diversis aut ingeniorum aut temporum rationibus magnopere diversa nec scio an Terentiani Mauri illud

habent sua fata libelli

quam verum sit, ullo exemplo luculentius possit demonstrari. Nam sicut novissimi censores iniquius auctorem tractaverunt, sic primo veritatis testi acciderunt adversa. Etenim prodiit anno CIƆIƆCLXXVIII Parisiis liber titulo inscriptus hoc: Histoire de la conqueste du royaume de Jérusalem sur les chrétiens par Saladin, traduite d'un ancien manuscrit, cuius libri editor, Citri de la Guette (nomen tunc tacitum postea satis est cognitum), codice se vetusto usum professus est, quem praestitisset possessor, Cabart de Villermont. Attamen anno proxime sequenti per „diurnos doctorum commentarios" (Journal des savants. Amsterd. t. VII. 1679. p. 80) pronuntiatum est codicem illum gallicum non nullorum movisse suspicionem,[1]) quod crimen a bibliothecae historicae gallicae (Bibliothèque historique de la France par Jacq. le Long, ed. augm. par F. de Fontette, t. II. p. 141 n. 16700) auctoribus repetitum vel graviore auxit, qui editoris vitam scripsit (Biographie universelle t. VIII. p. 585), gravissimo, qui auctorum incertorum indicem (Dictionnaire des anonymes t. II. p. 77) composuit, nostra demum aetate Paulinus Paris sustulit. Qua in caussa si Citri de la Guette ad virum harum literarum cognitione suo tempore praestantissimum provocare voluisset, se ab aequalium invidia facile potuisset defendere. Namque Dufresne Ducange et habuit in manibus librum illius similem et ipse attulit quum alibi tum ubi de Joinvillaei loco de quo iam diximus testatur sese verba, quae ille Ludovici IX. comes ex bellorum sacrorum historia repetiverit, in codice legisse manu scripto (observat. ad Joinvill. p. 45). In eisdem commentariis iam in scenam prodit Hugues Plagon en la version de Guillaume de Tyr, qui etiam in glossar. lat.

[1]) L. a. „— que plusieurs habiles personnes avaient pour suspect le vieux manuscrit gaulois; que l'éditeur, il est vrai, tâchait d'en justifier l'existence dans sa préface, mais qu'on pouvait dire seulement que les incidents du récit en étaient fort bien ménagés pour donner plaisir au lecteur." Cf. quae Paulin. Paris in hist. lit. gall. t. XXI. p. 682 exposuit, cui egregiae explanationi quam multa debeam, in aperto est.

s. v. paletare significatur: Hugo Plagon vetus interpres ms. Willelmi Tyrii (t. V. p. 26 ed. Henschel). Ex his testimoniis posteriorum altera pars fulcra sibi paravit, quum alteri eiusdem hominis summa auctoritas succurrere visa est ex glossar. lat. supplem. t. IV. ind.: Bernardus Thesaurarius de acquisitione Terrae Sanctae ab anno 1095 ad annum 1230.

Ac Muratorius quidem in bibliotheca Estensi codicem repperit, cuius initium apparuit hoc: „Incipit historia de acquisitione terrae sanctae, quam auctor huius operis transtulit ex gallico in latinum," et dum de interprete quaerit, vertendi operam ad Franciscum Pipinum Bononiensem, qui frater ordinis praedicatorum ineunte saec. XIV. vixerit, referendam esse facile intellegit. Ab hoc autem auctorem Bernardum quendam Thesaurarium perspicit prodi sub libri finem (ed. Muratori in script. rer. Ital. t. VII. col. 846), quocum consentire videt duos alios locos (col. 837 et 842) variaque testimonia in alio Pipini opere, chronico, cuius partem postea edidit (t. IX. col. 587 sqq.) extantia col. 630 et 632 cf. 605 et 617. Qua de re Pipini qualemcumque interpretationem in publicum mittere non dubitavit praefixa hac inscriptione: Bernardi Thesaurarii liber de acquisitione terrae sanctae ab a. 1095 usque a. 1230. Bernardi qui mentionem fecisset, neminem novit nisi Boiardum a quo conversum Ricobaldi Ferrariensis chronicum manu scriptum nactus postea edidit (t. IX. p. 283 v. col. 407, 413, 418), illumque exceptis nomine et officio ignotum professus rectissime statuit anno fere CIϽCCXXX floruisse, additamenta autem ex Brochardo Vincentio Bellovacensi aliis ab interprete conlecta esse.

Quattuor annis post quam Mediolani Pipini opus typis expressum est, Parisiis Martene et Durand „veterum scriptorum amplissimae collectioni" (t. V. col. 583—752) inseruerunt gallicam historiae Guilelmi Tyrii continuationem adhibito codice res in terra sancta inde ab a. CIϽXCV usque ad a. CIϽCCLXXV

gestas continenti. Ac priorem quidem partem quum nihil nisi illius libros in gallicum versos esse cognovissent, posteriorem tantum, qua uno ille tenore excipi videbatur, sine ulla auctoris inscriptione edere constituerunt Talem invenit Meuselius (bibliotheca historica t. II. 2. p. 298), qui auctoris nomen inquit editoribus ignotum est Hugo Plagon. In Meuselii partes cessit etiam Fontette (bibl. histor. suppl. II. p. 140) glossarii quem attuli loco nixus quumque nemo ab interpretatione continuationem omnino secernendam esse accuratius ostenderet, huius titulo a plerisque Hugonis Plagonis nomen praeponi coeptum (cf. hist. lit. gall. XVIII. p. 418) ne nostris quidem temporibus suum in locum reiectum est.[1])

Quod dum male ni fallor inspecto solo qui afferebatur teste sensim irrepit, non poterat non offendere Pipini cum gallico illo textu mira consensio: quam ob rem iam Mansi (not. ad Raynald. ann. ecclesiast. ad a. 1227 §. 11 ed. Lucc. t. XX. p. 567) comparato utroque Pipinum non integrum illius exemplum ante oculos habuisse censuit nec dubitavit, quin Bernardus Thesaurarius gallicae narrationis auctor fuisse recte iudicaretur. Eadem comparatione instituta commotus est Guizotus, ut quum Martenii textum a. CIƆIƆCCCXXIV demum typis exscribendum curaret[2]) (in conlectione illa commentariorum ad Galliae historiam pertinentium) ei haec praeponeret: Continuation de l'histoire des croisades de Guillaume de Tyr par

[1]) Wilkenius ad ultimum usque sacrorum bellorum historiae tomum nomen retinuit, postremo (t. VII. add. p. 70) professus id brevitatis caussa a se factum esse. Eadem brevitate usus est etiam Sybelius l. a. p. 109.

[2]) Neque enim ullum librum manu scriptum adhibuit nec Franciscum Pipinum in auxilium vocavit. Ex hoc (chron. I. 33 ap. Mur. IX. c. 617) ubi gairice vocis notione non detecta per caserne demum interpretatus est (p. 290, 291) sine negotio discere poterat intellegi Judaeorum mansionem. Mira quae similibus assecutus est coniecturis exempla repetere hoc loco non vacat: unum nuper satis castigavit Heyd, Die ital. Handelskolonien in Pal., Syr. u. Kleinarm. zur Zeit der Kreuzzüge in Zeitschr. für die ges. Staatswissenschaft. t. XVI. (a. 1860) p. 59. adn. 5.

Bernard le trésorier, ac sermonis rerumque relatarum differentiam animadverteret, qua inde ab a. CIϽCCXXX (rectius scribendum erat a. CIϽCCXXIX) gestorum narrationem a priore segregare cogamur (cf. praef. p. VIII. et p. 433 adn. 1). Quodsi postremo ut illius partis auctorem Hugonem Plagonem proponit, non minus vehementer a vero aberrat quam hi qui interpretationem aeque ac continuationem ad Bernardum rettulerunt. Quorum in numero primus cernitur Michaud, qui Hugone Plagone quem ab initio admiserat (in biogr. univ. et in bell. sacr. historia) abiecto in bibliotheca illa Bernardo omnia adtribuit (cf. bibliothèque des croisades ed. I. t. I. p. 282 sqq. 407).[1]) Quam sententiam iam satis inveteratam[2]) etsi non novis argumentis munivit, ea certe quibus confirmari videbatur conlegit Petit-Radel in hist. lit. gall. XVIII. p. 414, 440. Is postquam e cod. Paris. bibl. imp. 6744 non nulla edidit et cum Guilelmo aut Pipino composuit postremo loco de libris Parisiensibus Bernardo viginti duos adscripsit, qui quamvis communi omnes de fonte deduci possint, alios tamen aliam speciem praebere (id quod e brevi nota p. 430 iam licuit suspicari), aliquot Balduini Avennensis esse nunc satis constat.

Hi igitur cuncti interpretationem et continuationem ab uno eodemque scriptore compositas existimaverunt, id quod immerito dici tum demum intellectum est, quum codices innotuerunt, qui illa carent eiusque locum compendio admodum brevi explere videntur. Talem codicem primus quantum equidem scio suum in usum vertit Raumerus, Bernensem H. 340. Cf. Geschichte der Hohenstaufen t. III. p. 372[1], 374[1], 376[1], 379[3], 397[1], 442[2], 457[2]

---

[1]) Minime enim in eo sibi constitit, quod p. 407 dixit: „Nous conclurons à notre tour de tout ce que nous venons d'exposer, que Bernard Thésaurarius a fait une histoire complète, mais qu'on en a détaché la fin pour servir de continuation à celle de Guillaume de Tyr, comme le prouve assez le commencement de cette prétendue continuation."

[2]) Raynouard „Bernard dit le Trésorier" inquit „mort après 1228, a traduit en français Guillaume de Tyr, et surtout il a donné en la même langue une continuation de cet auteur." Journal des savants. 1836. p. 606.

(fol. 114, 115, 120, 117, 122, 125 codicis). Qui quum hac instructus sit subscriptione:

> Cest conte de la terre d'outre-mer fist faire le tresoriers Bernars de Sainte-Pierre de Corbie en l'Incarnation millesimo. CC. XXXII.,

egregie illorum opinio iuvari poterat, qui Bernardi partes contra Hugonem Plagonem susceperant, sicut etiam satis docebatur interpretationem a Bernardo abiudicandam esse.

Itaque denuo hanc quaestionem in historia literaria gallica t. XVIII. iam tentatam in eadem t. XXI. (a. CIƆIƆCCCXLVII edito) p. 679 sqq. retractavit Paulinus Paris. Ac primum quidem quod tanquam publico contemptu oppressum vidimus opus ab aequalium invidia liberavit cum libro quem Citri de la Guette ediderat, duobus codicibus Parisiensibus bibl. imp. 7185[3.3] et 450 suppl.[1]) (cf. eiusdem manuscr. franc. t. VI. p. 133) comparatis. Ex his igitur facile effecit singularem quandam extitisse et separatam priusquam cum illa interpretatione coniuncta esset rerum transmarinarum enarrationem, cuius consilium ex primis auctoris verbis elucere dixit: eum enim minime Guilelmum excepturum fuisse, sed de regno Hierosolymitano a Salahadino occupato expositurum quum priora tempora spectasse, tum paullatim usque ad a. CIƆCCXXXII secuta explicasse. Quibus libris adiecit illum Bernensem ante a. CIƆCCL exaratum (cf. Sinner, catalog. mss. cod. bibl. Bern. Bernae. 1770 t. II. p. 367 sqq.) indeque subscriptione ait patere Bernardum non ipsum librum composuisse, sed componi iussisse similemque vel accuratiorem inscriptionem nactis ut Pipino auctorem visum esse. Bernardi autem nomen sive ut patroni sive ut ipsius scriptoris impositum esse Guilelmi interpretationi illius narrationis incremento productae. Cum Guilelmi enim historia huic

---

[1]) De hoc conferri possunt praeter hist. lit. gall. XVIII. pag. 430. Godefr. de Villa Harduini ed. Paulin. Paris. praef. et Buchon (Recherches et matériaux . . . t. II.) p. 12 sq.

rationem nullam intercedere vidit:[1]) sed satis divulgatis et Guilelmi et Jacobi a Vitriaco et gallici auctoris exemplaribus clerici cuiusdam labore magnum corpus historicum concretum esse ita ut versis in gallicum Tyrii libris viginti duobus oppressaque gallici scriptoris parte eadem complexa ex amplissimis codicibus insequentia transcriberentur ac simul ex Acconensis episcopi historia orientali urbium arciumque descriptiones insererentur. Quod opus ex talibus partibus conflatum nec tamen male compositum minus accurate Heraclii librum[2] dici, substitisse autem in a. CIϽCCXXVII iudicavit auctoritate nixus codicum Paris. bibl. imp. 6743, 6744, 8314[6], 8403, 8409[5.5], suppl. 450, 1872, Sorb. 385.

Paulinus Paris quum illa subscriptione ductus a Bernardo componendi negotium abiudicavit, nondum cognovisse videtur praefationem quam novae totius corporis transmarini editioni ab academia Parisiensi institutae Beugnotus praemisit. Jam enim comparato codice Bern. H. 41 (saec. XIII.) subito quod diu latuit auctoris nomen patefactum est. Nam Balianus ab Ibelino funestis illis a. CIϽCLXXXVII calendis Maiis Neapoli profectus ad Fabam pervenisse narratur (col. 599 ed. Mart. p. 58 ed. Guiz. cf. Pip. c. 152 ap. Murat. t. VII. col. 787), quumque militum templi tentoria relicta vidit armigerum in arcem intrare iussisse, ut nova quaereret. Armiger ille in libro Bernensi verbis definitur, quibus Beugnotus scriptorem satis

---

[1]) P. 684. Le livre fait ou commandé par le trésorier de Corbie n'était la suite d'aucun autre livre et d'après toutes apparences, l'auteur quand il l'écrivit, au plus tard en 1232, ignorait l'existence de la grande Histoire de l'archévêque de Tyr. Qua in sententia sese perstare significat Paul. Paris in hist. lit. gall. t. XXIII (a. 1856 edito) p. 669: id quod tanto pluris faciendum est quanto magis recondita ille vir excellere putatur literarum gallicarum scientia.

[2]) Cod. 6744: „Cy comence le livre intitulé Eracles li quel parle de la conqueste de la Terre Sainte de Jherusalem." Cod. 8404. „Ci comance le premier livres de Eracles empereur et dels Mahommes et comment il conquistrent presque toute la terre de Surie." Huic librariorum invento carminis illius a Gualtero Atrebate compositi titulus fortasse succurrit.

prodi iudicavit (p XXII.), his: „Balian d'Ibelin fist descendre un suen vallet qui avoit a nom Hernoul, ce fu cil qui cest conte fist metre en escrit.“ In quibus si cui illud „fist metre en escrit“ ullam movet dubitationem, multo magis auctoris operam eo significari concedat necesse est quam illo „fist faire“ quod de Bernardi negotio pronuntiatum vidimus: adhibitum ipsum cognovi ab Arnoldi illius aequali, Roberto de Clariaco, cuius de capta Constantinopoli relatio extat manu scripta in bibl. reg. Havniensi (gamle konglige samling cod. 487 saec. XIV. ineunt. cf. Abrahams, Déscription des manuscrits français du moyen âge de la Bibliothèque Royale de Copenhague. 1844. 4.),[1] veritati sese operam navasse sub finem sic testato: „chis qui i fu et qui le vit et qui l'oï, le tesmongne Robers de Clari li cheualiers et a fait metre en escrit le verité.“

Beugnotus igitur primus vero scriptoris nomine agnito Arnoldum suum in ius restituit: quod quum profecto rectum et legitimum esset, non potuit non fieri in universum iusta et sana eiusdem de toto corpore sententia. Ac Bernardum quidem nihil statuit (p. XXIII.) nisi Arnoldi narrationem in a. CIƆCCXXVII subsistentem (sic enim iudicavit cod. Bern. H. 41 solo usus), usque ad a. CIƆCCXXIX produxisse. „Cod. Bern. H. 340 enim continetur, inquit, compendium historiae regni Hierosolymitani a morte regis Godefridi. Scriptor autem Willelmi Tyrii a longinquo, Hernolii vero a proximo et paene ad verbum narrationem subsequitur, dein ab anno 1227 ipse pergit res Hierosolymitanas commemorando usque ad a. 1229.“ Subscriptioni illi proxime antecedere animadvertit, quibus prima quae putatur continuationis pars in codice finitur a Martenio adhibito (cf. col. 702; p. 433 ed. Guizot.). Hernolium autem ipsum vertisse negavit Guilelmi libros, quippe quorum locum brevi et arida epitome expleverit; porro interpretationem Hernolii enarratione aetate superiorem esse censuit: nam quamvis ex utraque postea unum corpus componeretur in vetustissimis libris manu

[1]) Quem librum subtilissime ab Hopfio, prof. celeberrimo, descriptum inspicere et adhibere potui ob illius viri eximiam in me benevolentiam.

scriptis nihil extare nisi interpretationem sine dubio „non nullos per annos ullo sine complemento transscribi" solitam (p. XXV). Ab interpretis autem textu mutuatum quaedam Arnoldum dixit, „historici compendii, suae narrationi praevii, commentandi studiosum. Deinde" ait „scriptoribus aut etiam librariis, qui narrationem persecuti sunt, compendium istud rescindere et continuatos annales interpretationi pristinae eodem tenore attexere in mentem venit, ita ut unum quid et simplex ex diversis partibus efficeretur. Inde constitit magnum illud ultramarinarum partium chronicum."

Quibus quum gallici scriptoris historiae qualis origo fuisset ac propagatio Beugnotus satis pinxisset, illius personam subtilius definire conatus est Mas-Latrie. Is enim argumenta a se futuro tempore propositum iri pollicitus suum de corporis compage iudicium hunc fere in modum expressit: Fuisse prius quam interpretationi Guilelmi adiungerentur diversa transmarinorum chronicorum exempla eorumque primum adtribuendum esse Arnoldo, Baliani ab Ibelino armigero.[1]) Eiusdem, cuius narrationem in angustum contractam continere arbitratus est (II. p. 7. adn. 3) codicem Bernensem ubi adhibuit, scite distinxit a Bernardi thesaurarii qui Bernae extat libro, cui addere solet cod. Paris. bibl. arm. (bibl de l'Arsenal) 677[A.] pari subscriptione insignem, et ab incerti illius scriptoris chronico, cuius exemplum alterum (cod. Paris. bibl. imp. 7185[3.3.]) aliquotiens affert. Praeter hos multos Heraclii libros diligenter contulit nosque donavit, ut quibus nova de Cypriis potissimum rebus adduci sentiret, speciminibus inter se consentientium codicum 8314[a] et 8416, ex quibus illum ex ipsis regionibus

[1]) Hist. de l'île de Chypre t. II. p. 19 „En traitant, dans un Mémoire séparé, des sources historiques de mon sujet, j'expose avec quelques développements mon opinion sur la nature de ces fragments et l'ensemble de la narration à laquelle ils se rattachent. Je crois qu'ils ont appartenu d'abord, avant d'être placés dans les compilations de l'Eracles, aux anciennes chroniques écrites en Orient, par divers auteurs, dont le premier paraît avoir été Hernoul, écuyer de Balian d'Ibelin, chroniques peu de temps après annexées comme des continuations à la version française de Guillaume de Tyr."

transmarinis devenisse demonstravit, (t. II. p. 1—19) atque codicis Florentini (bibl. Laurent. plut. LX. ms. 10) ad annum CIƆCCLXXVII usque variorum studiis productos commentarios complexi (t. III. p. 591—595). In quibus omnibus etsi virum eximium se praestitisse scrutatorem ubique consideratum iniquus sit oportet quin fateatur, una tamen in re iudicium ab eo cohibitum malim. Etenim quae ex duobus illis libris vetustissimis edidit, sine dubio hominis in transmarina terra versati, fortasse Arnoldi esse dixit (II. p. 5 adn. 4). Illud nemo non concedet: contra ab Arnoldo — si quid video — quum fere omnia ex illis codicibus ibi typis expressa, tum et ipsa, quae Baliani comiti addicenda opinatus est editor, verba omnino abiudicanda sunt. At quum infra de his atque similibus locis uberius exponendum ac circumspiciendum sit, num forte quid universae egregii viri sententiae obstet, nunc ad coniecturam, quam de Arnoldo protulit, accedamus. Quam licet argumentis firmare auctor nondum inceperit et firmioribus fulcris stabiliendam ipsi relinquam, ex paucis tamen quae mihi praesto sunt literarum subsidiis quam maxime probare conabor, quippe quae mihi videatur etsi non omni dubitatione carere at veri certe admodum similis et sine ulla audacia defendi possit. In foedere igitur inter Genuenses et Cypri regem ac principes a. CIƆCCXXXII d. II. m. Dec. icti exemplari edito in t. II. p. 56 sqq. ubi commemoratur „Arnaix de Gibelleto," Mas-Latrie hunc sibi primae, qua Guilelmus Tyrius in Heraclii libris excipiatur, narrationis auctorem vidēri adnotavit (p. 56 adn. 7). Eundem Arnoldum, quem in partibus Joannis Berytensis domini stetisse illo documento docetur, coniunctum cernimus cum Joanne ab Ibelino aut Philippo fratre aliisque cognatis tribus aliis chartis (a. CIƆCCXX Arneyus de Gibelet III. p. 611, a. CIƆCCXXXIV Arneisius de Gibelet p. 639, a. CIƆCCXXXIX Arnisius de Gibeleto p. 643), ab illo principe potentissimo in Cypro, quam defenderet, relictum esse discimus ex rerum transmarinarum annalibus Arnoldi commentario additis (cf. col. 713 ed. Mart.; p. 470 ed. Guiz.). Ubi quem res adversus

patriae hostes male gessisse audimus, eundem iure fuisse consultissimum eaque re plurimum valuisse affirmant testes gravissimi Philippus de Navarra, auctor legum Cypriarum primarius, et Joannes ab Ibelino Philippi f., codicis illius notissimi compositor. Atque ille quidem ubi iuris peritos iam defunctos enumerat, postquam Boemundum principem Antiochenum, Joannem dominum Berytensem, Raimundum Bibliensem commemoravit, „et si y fu, ait, messire Hernois de Giblet qui fu remembrant et el esploitant et bon plaideor“ (c. 94. Ass. de Jérus. ed. Beugnot. I. p. 570). Quocum comparare iuvat locum, ubi eorum mentionem facit qui eruditione et eloquentia floruerint et refert quorum ipse doctrina institutus sit (Livre de Ph. de N. ch. 49. I. p. 525 ed. Beugnot): „Après usai entour monseignor de Baruth le Viell jusqu'à sa mort, qui moult de chozes m'aprist la soie merci, à ma requeste; car de se ne diseit il mie si volentiers com messire Rau faisoit. Après fui moult acointe de monseignor de Saeste à Baruth et à Acre et en Chypre; et moult de chozes m'aprist la soie merci volentiers. Et après tous ces grans seignors et sages, usai moult en cort entor messire Guillaume vesconte, et messire Harnois et messire Guillaume de Rivet le joune, qui moult estoint grans plaideors.“ Cum illo Guilelmo vicecomite, quem loco supra adscripto Philippus „plus soutil positor de plait que tous les vavasours de son tens“ vocat et commemorari videmus chartis (v. Mas-Latrie t. III. p. 611, t. II. p. 56, 57), Arnoldum coniungit etiam Joannes ab Ibelino (c. 239 Assises ed. Beugn. I. p. 383).

Quodsi auctorem nostrum quum intimam cum Berytensis domini patre coniunctionem et amicitiam exercuisse,[1]) tum

[1]) De hac re satis aperta alias pluribus agam, si de auctoris fide exponendi tempus et otium datur: est enim de condicionibus terrae sanctae, praecipue de nobilium partibus, quaerenti quam accuratissime respicienda. Ut unum afferam, ad ea, quae gallicus scriptor de Isabellae cum Conrado Montis ferrati marchione nuptiis tradit, non comparari non possunt, quae itiner. Hierosol. (hist. Hierosolym. ap. Bongars. p. 1171) auctor I. 62 p. 292 ed. Gale. suppedidat: „Profecto fautores eius [marchionis] praecipui tres erant, Renaldus Sidoniorum dominus, Paganus de castro Caiphae et Balisantus.“

consuetudinum regni transmarini peritiam singularem prodidisse[1]) nemo infitias ire potest, Arnoldum Bibliensem qui illum fuisse coniecit rationibus valde probabilibus usus esse omnibus videbitur. Qua coniectura arrepta aut omissa si tandem ii, quibus reliquarum post Beugnoti curam corporis transmarini partium editio commissa est, id egissent, ut subtilius indagarent, quae inter Arnoldi librum et Bernardi et incerti auctoris chronicum intercedat ratio quo tempore quove modo illa fuerit perditae terrae sanctae enarratio Guilelmi libris addita quae denique per saeculorum seriem donec ad nos perveniret illud corpus historicum fata habuerit, nimirum illa quaestio nisi ex omni parte absoluta, at certe pro singulari editorum doctrina et egregiis subsidiis undique conlatis quam proxime ad finem perducta foret. Bonum igitur eventum dum quisque sperat, adversa subito iustae trium virorum eruditissimorum sententiae omnibus inexpectata nullo denique pacto post illorum inventa credibilia de editorum consilio exire videmus. Quibus ne infenso quis me animo invehi putaverit, quam accuratissime totam eorum de re ancipiti disputationem repetere hoc loco iuvabit, praesertim quum nec nimis longa sit et tanquam ultimum ipsius academiae Parisiensis edictum habenda.

Atque in eo quidem sese cum Beugnoto consentire profitentur, quod dixerit Guilelmi Tyrii interpretationem aetate superiorem esse continuatione et ante hanc publicatam. Qua in interpretatione (quam solam extare demonstrant in duobus codicibus Paris. bibl. imp. 2970 suppl. saec. XIII. et 8314 saec. XV., quum $8315^{2.2}$ et $8404^{5.5}$ mutili videantur,) libros manu scriptos minime inter se differre, contra quas plurimi post illam exhibeant continuationes magis minusve productas, alias amplam et rerum et verborum copiam continere, alias

[1]) Sufficit ad illum locum provocare, qui est de moribus ac caerimoniis in novo rege instituendo ac salutando apud transmarinae terrae incolas usitatis (XXIII. 5. p. 8 sq. ed. acad. de quo cf. Beugnot, Assises de Jerusalem. t. II. Paris. 1843 fol. praef.).

quasi in compendium redactas esse. Ab his omnibus secernenda esse sex exemplaria, quae interpretationis loco praebeant tanquam prologum epitomen ex Tyrii historia correptam, exceptam inde narrationem rerum ad a. CIƆCCXXVII vel CIƆCCXXIX. gestarum aut contractam aut adeo decurtatam:[1]) exordiri autem continuationem a verbis „li cuens de Triple respondi que volentiers recevrait la baillie.“ Illi sex codices sunt quattuor Parisienses

7185[3.3] bibl. imp. = X, quo compendio infra utar,
7188[5] bibl. imp. = Z,
455 suppl. bibl. imp. = V,
677[A] bibl. armam. (bibl. de l'Arsenal) = R,

duo Bernenses

H. 340 = T,
H. 41 = J.

Postea editores iubent Hugonis Plagonis et Nicolai Falconis, qui ineunte saec. XIV. Haythonis librum vertit, ut interpretum nomina abici: quod iudicium quatenus ad illum attinet nunc in medio relinquendum, de hoc factum comprobandum est. Jam de continuationis quam volunt origine et propagatione quaerentibus visum est inter recensionem quam vocant orientalem et occidentalem discernere: utriusque ternas partes esse statuunt (p. III. IV.), primamque ad a. CIƆCCXXIX pertinere dicunt, alterius recensionis et amplius et magis correptum genus extare, cum correpto occidentalis familiae contextum consentire. Qua in caussa editorum rationes facilius potuissent intellegi, si alterutri singulos adscripsissent codices

---

[1]) „D'autres manuscrits... ne contiennent pas cette traduction, qu'ils remplacent par une espèce de long prologue rempli de détails plus ou moins authentiques, plus ou moins fabuleux, sur les rois de Jérusalem, sur les Templiers, sur les sultans d'Egypte et sur Saladin; puis viennent des déscriptions géographiques embellies par l'imagination des pélerins. A la suite de ce prologue dont le fonds historique est tiré en grande partie de l'Histoire de Guillaume de Tyr, l'auteur insère la continuation de Guillaume, la mutile encore, et l'abrège autant qu'il lui est possible.“ Praef. p. II,

familiae. Libros enim ubi describunt, universae huius divisionis quadamtenus immemores nihil nisi ampliori illi generi quattuor addicunt (codd. Paris. 8314[3] = B, 8316 = A, 450 suppl. = C, cod. Lugd. 732 vel 815 = D), magis correptae reliquos viginti quattuor relinquunt, nec tamen alterutri familiae singulos adtribuunt. Quae de utriusque generis conditione contendunt,[1]) quam longe a vero aberrent, postea videbimus, exemplum quo suam opinionem firmari volunt minime aptum esse nemo non sentit, dum modo ipsum locum inspiciat. G. enim (cod. Paris. bibl. imp. 104 suppl.) quo libro Martenius usus est quasi ceterorum vicarium et proposuerunt et denuo typis expresserunt. Quem de Henrici comitis Campaniae morte alia atque A. et B. alterius generis amplissima exempla exhibere quum affirmant (p. VIII.), non animadvertunt cum illo conspirare C., ab his differre etiam D (v. XXVII. 4. p. 221 ed. acad.). Nimirum C. ab A. et B. societate omnino removendus erat, cum D. libro qui usquequaque consentire videtur codex Florentinus (d) quem primus Mas-Latrie adhibuit arctissime componendus. Utriusque deinde familiae seriem excipi aiunt diversa relatione inde ab a. CIↃCCXXIX usque ad a. CIↃCCXLVIII, tum produci alteram brevissimis annalibus ad a. CIↃCCLXXVII, alteram variarum quadam partium conglutinatione promotam subsistere in a. CIↃCCLXI rebus.

Sed has posteriores continuationes nunc omnes missas facimus: iam de prima quid statuant editores parte anquirendum est. Ac Beugnoti quidem sententiam repudiant, quippe

---

[1]) Praef. p. VIII. „Ce récit abrégé est évidemment un remaniement sur le récit étendu de A. et B. Le nouveau rédacteur a supprimé quelques détails, ajouté peu de faits ou les a présentés dans un autre ordre.“ Quam perversum sit, D. et C. omnino a G. separare, cum A. et B. iungere, ex editorum qua de correptae recensionis auctore exponunt argumentatione facillime potest perspici: omnia enim argumenta de illius aetate prolata non minus e C. et D. codicibus quam ex G. haurire licet. A. et B. nova exhibere dicunt et singularia (l. a.): in exemplo (p. 58—61 ed.) quod afferunt D. totus cum illis facit, G. etsi in verbis differt, res tamen aequa diligentia explicat.

qui Arnoldum nobilem quendam ex „Balduini" ab Ibelino comitatu illius auctorem dixerit res ad a. CIↃCCXXVII gestas persecutum, Bernardum thesaurarium eius narrationem ad a. CIↃCCXXIX produxisse, quum Bernensis cod. H. 41 quo nixus Beugnotus illa protulit mutilus esse videatur liber Z eodem loco Arnoldi nomine insignitus res biennii insequentis contineat. Atqui universae Beugnoti sententiae vix quidquam alicui detrahi videbitur illique opprobrium a successoribus factum tam facile condonabis quam his Balduinum viro eximio inculcatum. Verum enim vero gravius illud restat argumentum, quod Arnoldi libri comparati cum speciosis duobus codicibus, A. et B., (quibus pro fundamento editores usi sunt, quippe qui incerti quidem auctoris et cuius futuro tempore nomen patefactum iri exspectandum sit accuratissima tamen explanatione ceteris praestent,) nihil nisi epitomen praebere dicuntur: quod argumentum quo quasi capite totius continetur disputationis caussa quanti faciendum sit, subtilius infra (cap. III.) examinabimus. Beugnoti iudicium amplexus Mas-Latrie quod Arnoldo Bibliensi auctoris personam induit, refellitur ratione mire quam probabili: vix enim credi posse autumant qui tam amplum opus scripserit eius nomen nusquam reperiri praeterquam in compendio: immo veri similius esse Arnoldum quippe quem ut militem longiorum expositionum pigeret istud compendium aut ipsum composuisse aut scribendum curavisse.[1]) Militem scilicet ubi vulgari providentia quae in re bellica ducem deceat caruisse videmus, iuris peritia

---

[1]) Praef. p. V. „Quel était cet Hernoul? Il nous semble bien difficile de croire que c'était comme quelqu'un l'a pensé, Arneis ou Hernoul de Gibelet partisan de la maison d'Ibelin qui en 1232 fut accusé de négligence dans ses préparatifs de défense contre l'armée des Impériaux, alors qu'elle venait d'envahir l'île de Chypre. Il serait bien étrange que le nom de l'auteur d'une oeuvre aussi considérable que la continuation de Guillaume de Tyr n'eût été conservé que dans un abrégé? Ne pourrait-on pas croire que l'Hernoul mentionné dans ces deux manuscrits fit lui-même, ou plutôt fit faire par un scribe, un abrégé de cette volumineuse chronique, qu'en sa qualité d'homme de guerre il devait bien peu estimer, la trouvant, sans nul doute, trop longue ou trop diffuse."

inter aequales eundem excelluisse obliti sunt quam disertis verbis ipsi adnotent.[1]) Alterum argumentum, si epitomae illi reliqua superstructa videbuntur, habebitur nullum neque ab illis prolatum esset aut certe immerito prolatum statim videretur, si Mas-Latrie in uno loco supra indicato sententiam retinuisset. Qua in caussa mox demonstrabitur cur cum viro egregio facere noluerim et ipsi opprobrium a meo iudicio alienum quod removeat relinquendum sit.

Quodsi iam ad Bernardum transgredimur, cum Beugnoto adversarii in eo conveniunt, quod ex Arnoldi libro sua illum petivisse rerumque ad a. CIƆCCXXXII fere perduxisse expositionem concedunt (p. V.).[2]) Furti facti criminationem quo vitaret, prologum quendam Bernardum praefixisse existimant, qui prologus quum in solo codice R. extet in T. hunc in modum compari, ut singulas praeter primam paginas adaequet, desit, satius erit ad librarium quemlibet referre.

Denique quod codicibus V. et X., de quibus Paulinus Paris plura exposuit, populare quoddam chronicum transmarinum Bernardi et Arnoldi narrationum simillimum contineri dicunt (p. VI.), non est unde ulla dubitatio exoriatur. Itaque destitutus ille quidem talium librorum manu scriptorum usu, id unum vehementer doleo, quod ne librum quidem quem Citri de la Guette edidit comparare mihi potui, quo de singularium horum operum, quae tempore futuro in publicum edi decretum est, ambitu atque condicione fortasse subtilius mihi liceret iudicare.

Itaque magni facio, quod pro me Carolus Betantius

---

[1]) Cf. XXXIII. 32 p. 399 et edit. not. f.

[2]) Itaque ipsi corrigunt, quae superiore loco (p. II.) de exitu harum narrationum protulerunt. De Bernardi parte anno 1183 superiore quoniam nihil habent, soli Beugnoto (praef. p. XXIII.) fides adiungenda est.

Genevensis amicissimus codicem quendam bibl. Genev. (85)[1] contulit, eundem postea Hopfius quoque inspexit. Quem librum ubi in auxilium vocare possum, g litera notabo. Codices, quos nuperi editores in descriptione continuationi quam vocant correptae adtribuunt, infra per α, β, γ, δ, ε, ζ, η, ϑ, ι, κ, λ, μ, ν consignabo, cod. bibl. Paris. imp. 8315 per P., Bern. H. 25 per O., libros continuationis quae appellatur Roetelanae eisdem compendiis quibus editores utuntur adscriptis praeterea L. (cod. bibl. acad. Lugd. 42 et 733) et M. (cod. 10 Lavalier.).

De totius corporis [illegible] Compositione

Caput II.

In cuiusvis libri compositione recte aestimanda hoc praecipue ad rem facere constat, ut intellegatur, quid auctor voluerit quove illum consilio composuerit. Hoc enim nondum perspecto diiudicari nequit aptaene sint et ad propositum accommodatae singulae partes an ab eo tantopere differant, ut aliena cuiusdam opera irrepsisse ideoque reicienda esse videantur. Acutiorum tamen correctorum manu interdum inserta multa sunt, quae quum operis consilio perbene conveniant dignosci non possint nisi ordinis ac sententiarum condicione, cui si interpolator ab auctoris vel aetate vel ingenio longius fuit remotus, accedere solet orationis diversitas. Ex his igitur caussis quam gravissima argumenta petuntur. Sed praeter hoc

---

[1]) De hoc codice saec. XIV. adscribendo Sénébier in catal. cod. bibl. Genev. p. 359 haec exhibet: „Voyages d'Outre-mer, fol. vélin. Ce manuscrit qui est très-beau par les miniatures dont il est orné, porte les armoiries de la famille Petau sur la couverture.“ Quae de fine affert, non satis accurata sunt, ut infra videbimus.

probationis genus alterum novimus in codicum comparatione versari facilius illud quidem et apud plures ad persuadendum maxime idoneum, sed quo saepissime erepta adversis temporibus opportunitate uti non liceat. In nostro tamen transmarinarum narrationum corpore vehementer doleo quod ne nupera quidem editio splendidissimo apparatu exornata omnino satisfecit, sed etiamnunc librorum ad hanc quaestionem potissimum pertinentium copia inedita, immo nequaquam satis quidem inspecta latet. Itaque solitam illam viam, qua omnibus praesidiis instructi ita incedant, ut a faciliore negotio ad difficilius transgressi quasi caput totius disputationis in cognoscendo scriptoris consilio et partium ratione ponant, hic persequi non possumus, sed intorta quadam qua finem consequamur argumentatione utendum est nec raro ὕστερον faciendum πρότερον.

Sacrorum bellorum eventus regnique Hierosolymitani fata, ut quae per duorum fere saeculorum spatium non minoris cupidissimi cuiusque aut lucri aut laudis quam divino quodam impetu captorum interessent, quum per LXXXIV annos egregia viri praestantissimi rerumque peritissimi relatione illustrata essent, in gallicum versa apud nationes, quibus in suscipiendis sacris expeditionibus primariae conceduntur partes, ob facilem sermonis intellectum ubicumque divulgata est. Itaque Franciscus Petrarcha (de vita solit. II. s. 4. c. 1.) de commissa Petro illi Ambiano legatione locutus pluribus supersedit, quum „stylo tolerabili et sermone vulgari, duobus non paucis voluminibus ea res in populis etiam nota“ videretur.[1]) Sicut autem universae historiae studiosi nec latinae linguae imperiti illa aetate unum fere Sigebertum Gemblacensem adire soliti fuerant, sic etiam posteriores expeditionum sacrarum scriptores reliquos raro consulebant, horum libris innixus archiepiscopus Tyrius

[1]) Sybelius l. a. p. 159 quamquam Guilelmi Tyrii lib. I. c. 10 et 12 paene ad verbum in Petrarchae expositione redire animadvertit, de libro illo vulgari — quem nescio cur italicum opinatus sit — sermone conscripto dubitavit.

instar omnium haberi incepit. Neutri deerant, qui narrationis seriem sive suis sive aliorum operibus excipiendam statuerent: sed Sigeberti verbis recentiores simul alia ex aliis fontibus inseruerunt, contra gallicus Guilelmi textus propemodum integer tempora tulit — sive ad auctoritatem id referas (cf. Recueil des hist. des crois. Hist. occid. t. II. praef. p. II.) sive ad amplissimam rerum explanationem. Grassati contra alii vel ambitum aucturi vel latius digressuri in narratione Guilelmi historiae adiecta eo frequentius sunt, quo plurium in manus consociata cum auctoris locupletissimi libris deveniebat quoque facilius (quippe scriptor rerum ab aequalibus gestarum copiam uberrimam absoluta expositione complecti nec potuit nec voluit) de suo cuique solutissimo ordini varia intermiscere licebat. Itaque per XLV annorum cursum diversissimam speciem praebent codices. Illa autem aetate quum ad partes transmarinas potentissimorum Europae regum exercitus ingentes classibus undique comparatis succurrissent, tantis expeditionibus frustra susceptis mox sola suos milites Gallia emisit, ut a qua regni Hierosolymitani in angustias compressi salus non omnino esset aliena. Quoque rariora accedebant ab Europa auxilia, quo tristior fiebat Christianorum transmarinorum condicio, eo magis nudo et arido sermone in illis regionibus gesta referuntur ac narratio exit ab uberrima superiorum temporum longe diversa. Ideo historici corporis gallici forma et habitu quodammodo repraesentantur gravissimorum post hominum memoriam laborum initium decursus exitus.

Quodsi ad librorum manu scriptorum recensionem accedimus, hodieque non nulli supersunt, quibus continetur perditae a. CIↃCCXCI Ptolemaidis, ultimi in terra sancta praesidii, relatio (ed. in Mart. et Durand. ampl. coll. t. V. col. 757 sqq., ex parte in Jac. Echard. script. ord. praedic. t. I. Paris. 1719. fol. cf. Wilken, l. a. t. VII. (2) p. 720., Leclerc in hist. lit. Gallic. XX. p. 79. sqq.) in gallicum versa: sed interpretatio, quae extat in cod. Paris. 454 Sorb. (de quo cf. Leclerc l. a.

p. 85) differt a cod. Vatic. reg. Christ. 737 (v. ibidem p. 787) et a cod. Paris. bibl. imp. 8404 (comp. Hist. occid. II. praef. p. IX.). Itaque varios in vertendi opere occupatos fuisse videmus, sicut etiam continuandi operae quosdam sese dedisse probabile est (cf. quae ex cod. Mutinensi de rebus saec. XIV. ineunte factis Mas-Latrie protulit l. a. t. II. p. 131 adn. 3). Quum tamen in his omnibus orationis tenor iam supra videatur interceptus, nuperi editores tales particulas secernendas a reliquis existimaverunt neque nunc diligentius respiciemus. Videamus ergo, qualem formam et habitum Heraclii libri recentissima editione aut publicati aut comparati praestent. Ac tabulam quidem ab editoribus compositam neque accuratam esse neque uno inde aspectu codicum ambitum satis intellegi facile concesseris: accuratam quoniam praestare equidem adhuc nequeo, eam certe proponere studebo, unde propagationis ratio evidentius eluceat. Librorum compendiis utar supra adscriptis: codices, qui mutili videntur, uncis notabo.

1184 — 1231	[illegible] α β (γ) δ ε ζ η (ϑ) ι ϰ (λ) (μ) ν ξ		1184 — 1231
	E F H J K L M	P D d G O B A	1184 — 1229
1229 — 44	E F H J K L M	(P) D d G O B A	1229 — 48
1244 — 61	E F H J K L M A	. . . . . . d G O B . .	1248 — 66
. . . .	. . . .	. . . . . . d G O	1266 — 75
1291	F	. . . . . . d	1275 — 77

Ex hac tabula primum patet alteram codicum partem non progredi ultra primae quae putatur continuationis [1]) finem, alteram in duas discedere familias, quarum illi septem in priore loco octo in posteriore libri sint adscripti, in hac ab initio septem cernantur, deinde quattuor tum tres denique unus restet.

[1]) Non distinxi ab exemplis magis integris depravata nisi quod A. et B. a reliquorum codicum societate secrevi caussis permotus de quibus infra sermo erit.

Inde ab anno CIƆCCXXIX duae existunt familiae, quae nihil secum habent commune, praeterquam quod A. per LXIV annos codicis B. vestigia presse secutus non solum hunc ducem, sed totam familiam deseruit, ut ad alterum genus transiret. Atque universa quidem eius cum hoc codicum genere condicio ex tabula perspici potest, est tamen cavendum, ne quis librario, qui A. manu exaraverit, nihil nisi posteriorem partem a priore segregatam ante oculos versatam fuisse credat indeque novum dividendi argumentum petat. Paullo enim post videbimus, quo puncto narrationis cursus in libris uno tenore tanquam unius et eiusdem scriptoris productus quasi intercidi debeat.

Ante omnia observandum est totam continuationem quae Roetelanae nomine appelletur conglutinatam esse particulis et diversorum auctorum et diversissimi generis in unum coniectis. Qua indigesta e mole librorum manu scriptorum ductu removeri possunt, quae in editione academica leguntur capp. 45—58. Desunt enim in codicibus H., J., K.[1]) et sermonis tantam diversitatem ostendunt, ut editores, licet omnia retinerent, insiticia tamen esse concederent.[2]) Addita quidem esse uno eodemque consilio, sed ex variis fontibus apparet: quippe qui interposuit simul ac maris quod Ludovicus transcendere suscepit terraeque quam aggredi ausus est pericula pingere coepit expeditionem per Libyae deserta a M. Porcio Catone Uticensi institutam qualem Lucanus[3]) descripserat, secundum

[1]) Ideo in prima editione (Michaud et Poujoulat, Nouvelle collection des mémoires pour servir à l'histoire de France. I. sér. t. I. p. 359—401) non inveniuntur. Cf. Michaud, Biblioth. des croisades I. p. 377 ed. 2.

[2]) P. 571a. „Il est assez probable que ces quatorze chapitres ne faisaient pas partie du récit de Jean Sarrazin, et y ont été ajoutés après coup. Le style de cette portion du texte suffirait seul pour justifier cette opinion. On n'y reconnaît pas la même main.“

[3]) Phars. IX. X. Lucani nomen c. 46 p. 573 affertur, carmen ipsum c. 45. postremis verbis significatur: „En un livre que l'en apele Cesar, treuve l'en des perilz que un grant prince de Rome qui avoit a non Cathonz et si compaignon orent en mer et es deserz de Libe.“ Haud aliter Caesaris nomine usus est Jacobus Forestus, qui saec. XIII. Lucani libros versibus gallicis convertit:

gallicam interpretationem enarravit atque de Alexandro M. ex Callisthenis, cuius illa aetate circumferebantur, epistulis [1]) non nulla addidit. Quae digressio satis arguitur verbis, quibus ad interceptam expositionis seriem reditus comparatur: „Mes or retornons a conter de nostre estoire que nous avionz devant lessié“ (cap. 59). Inde quamquam codices ordinem mutatum et perturbatum exhibent, eiusdem tamen originis omnia esse vix est cur negemus, sicut etiam exordio huius partis compositor videtur addidisse literas Joannis Sarrazeni, cui Michaud etiam reliqua adscripsit [2]) Is enim continuationis initium posuit in ipsius epistulae primis verbis (cf. l. a. p. 359), quod rectissime statuitur (cf. ed. acad. praef. p. IX.) in cap. 42: „en cel an meismes et en cel tempoire.....“ Itaque librarius qui codicem A. manu exaravit, postquam quae cum B. ille communia habet transcripsit, ex alterius familiae exemplo narrationem eum in modum excepit, ut ad cladis gravissimae a. CIϽCCXLIV apud Gazam factae, quam supra (l. XXXIII. c. 57 p. 431), ut a B., D., G. fit, descriptam Christianos die s. Lucae euangelistae mense Octobri accepisse tradidit, adumbrationem regressus [3]) Charisminorum illam victoriam accidisse

cuius opus etiamnunc extat manu scriptum, sicut interpretationis gallicae pedestri sermone compositae exemplaria reperiuntur Paris. (cod. bibl. imp. 7508), Venet., Roman. (bibl. Christ. reg. 824). Hic codex, qui saec. XII. adtribuitur, sic incipit: „C'est de Jules Cesar. Cy comence li histoire de Julius Cesar ke Jean de Cuien translata de latin en roumanz, selon les X. livres de Lucan.“ Cf. hist. lit. Gallic. XIX. p. 681—686. Similem interpretationem ante oculos habebat Jacobus de Guysia (III. c. 120) cf. R. Wilmans, in Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde, t. IX. p. 309.

[1]) Cf. quae Berger de Xivrey ex codicibus bibl. imp. Paris. edidit in: Notices et extraits des manuscrits de la bibliothèque du roi et autres bibliothèques. T. XIII. Paris. 1838. 4. p. 284—301, 302—304, 305—306. Vid. in universum idem p. 214 sqq. et G. Favre, Mélanges d'histoire littéraire, publiés par J. Adert. Génève. 1856. 8. t. II. p. 163 sq.

[2]) Idem fecit Franc. Michel qui hanc partem denuo typis exprimi decrevit (Mémoires de Jean, sire de Joinville . . . Paris. 1858. 12. p. 253—313).

[3]) Hanc ob caussam nuperi editores quod quasi codici A. singulare in calce p. 431 (XXXIII. c. 57) caput apposuerunt, ad Roetelanam continuationem (c. 41 p. 565) quacum consentit, adscribere debebant.

narraret a. CIƆCCXLVIII mense Septembri pridie diei festi s. Lucae euangelistae.[1])

Quodsi ad priorem familiae Roetelanae particulam transgredimur, etiam magis undique conlectam videmus materiam: id quod sola argumentorum descriptio docebit:

cap. I. De Saracenis Hierosolyma occupaturis.
cap. II.—XI. Hierosolymorum et locorum sanctorum delineatio.
cap. XII.—XIV. Agapitae vaticinium.
cap. XV.—XVI. De Salahadini heredibus.
cap. XVII. De Assasinis.
cap. XVIII. De caliphis Baldacensibus.
cap. XIX. De Friderico II. imperatore.
cap. XX.—XXIII. De expeditione a Theobaldi Navarrae rege suscepta.
cap. XXIV. De Babylonibus.
cap. XXV.—XXIX. De exped. Theobaldi.
cap. XXX.—XXXI. Philippi a Nantolio carmina in exped. Theobaldi composita.
cap. XXXII.—XXXVI. De exped. Theobaldi.
cap. XXXVII.—XXXIX. De concilio Lugdunensi, de Friderico II. eiusque adversariis.
cap. XL.—XLI. De Tartaris et Charisminis.

Hac ni fallor variarum rerum quasi farragine et veteres et recentiores quidam perducti sunt, ut Acconensis episcopi vel

[1]) In his annus ille CIƆCCXLVIII (ex CIƆCCXLIIII ortus) et mensis septembris (reliqui codices praebent „octombre" v. G. p. 431 var. lect. „octembre") male perspectis literarum ductibus tribuendi sunt, diei contra definitio ad auctores referenda. Discedunt enim in alterutram partem ceteri testes: velut „die S. Lucae euangelistae" accidisse scripsit Guil. de Castro Novo (ep. ap. Matth. Paris. ed. Wats. Lond. 1640 p. 622 cf. Rayn. ann. eccl. a. 1244 §. 10, 11), „secunda feria ante festum S. Lucae Euang." Fridericus II. (apud Matth. Par. p. 619) quocum Robertus Hierosolymitanus patriarcha qui ipse pugnae interfuit consentit (epist. in. mem. potest. Reg. Mur. VIII. col. 1113.) „XV. Kal. Octobr. hoc est in vigilia S. Lucae euangelistae."

potius patriarchae Hierosolymitani dicerent extare historiam ex parte in gallicum sermonem versam (cf. Bongars. gesta Dei per Francos praef. s. XII.: „Quae praemittit de Saphadini filiis et locis terrae sanctae, ea Gallica habemus mss. authore Patriarcha Hierosolymitano quodam ...“ vid. etiam F. Wachter. de Jacobo a Vitriaco in Ersch. et Gruber. encycl. II., XIII. p. 132 sqq.). Quippe capita tria (15, 16, 24) nihil praebent nisi quae in Jacobi editione Bongarsiana tertii libri loco leguntur (p. 1125 sqq.):[1]) praeterea caput 17 hist. orient. I. 14 (cf. Vinc. Bellov. spec. hist. XXXII. 56), c. 18 hist. orient. I., 7 (Vinc. Bellov. XXXII. 54) respondet. Denique locorum quoque sanctorum descriptio ab eodem occupari non nullis visa est. Neque tamen ad verbum illi Jacobi loci repetiti sunt sed pluribus additamentis exornati. Ab eodem conflati ex Guilelmi interpretatione et Bernardi thesaurarii libro corporis compositorem in urbibus et arcibus pingendis quaedam mutuatum odoratus Paulinus Paris (hist. lit. Gall. XXI. p. 684) — nisi ad posteriorem corporis speciem referri id voluit — merito plus sensit. Sed circumspiciendum de reliquis partibus est aliunde assumptis. Quem ad modum epistola illa Joannis Sarrazeni narrationi insequenti praefixa factum est, ut totius operis idem existimaretur auctor, etiam eius, qui Philippi a Nantolio militis nobilissimi[2]) carmina[3]) admiscuit, persona huic poetae concessa est (v. Michaud, hist. bell. sacr. IV. p. 86). Plus mea interest Hierosolymorum descriptio unde originem duxerit enucleare. De qua si ipsum qui transscripsit consulimus non qualis sua aetate fuerit urbis conditio, sed qualis Salahadini, antequam ab

[1]) Singularis quaedam epistolae a patriarcha datae extat interpretatio in cod. Bruxell. 10411 bibl. reg. Burgund. fol. 401—405, cuius apographum apud Hopfium inspexi. Similiter illud Agapitae vaticinium habemus separatum in cod. Paris. 7188[5.5] bibl. imp. (cf. Paulin. Paris. les manuscr. frnç. t. VI. p. 160 edit. acad. p. 515) et in libris quibusdam Bernensibus (cf. Sinner. catal. cod. ms. bibl. Bern. II. p. 363).

[2]) De eius familia vid. Paul. Paris. l. a. XXIII. p. 671.

[3]) Similia carmina tunc pluria circumlata esse refert auctor narrationis:

hoc expugnaretur, se expositurum esse profitetur (cf. c. 2 p. 490 ed. acad. et c. 12 p. 515). Porro si ipsam descriptionem inspexeris, aegre ad rerum usque ad a. CIↃCCXLVIII gestarum scriptorem rettuleris.[1]) Plane eamdem ubi in aliis codicibus superesse viderimus, facile intellegemus aptissime accuratae illius obsidionis relationi praecedere atque ab hac sede a compositore minus considerate remotam esse. Sed multo magis quam hac digressione a suo loco avocata doceri potest ei, qui illa ad expeditionis a Theobaldo suisque susceptae paulloque post in terra transmarina gestorum enarrationem et Friderici II. res aliunde repetita conlegit, parum consilii adfuisse primis verbis quibus sua cum superioribus connexuit. Nam in septem codicibus, qui illam continuationem praebent, eodem modo atque in eis, qui in a. CIↃCCXXXI res desinunt, et aliis res a Friderico II. in terra sancta gestae, deinde Saracenorum impetus in Hierosolyma factus, tum Italicae post imperatoris reditum perturbationes, denique quo pacto Joannes Brennensis imperium Constantinopolitanum nactus sit, explicantur, denuo autem alterius partis compositor illius impetus non nova quadam (ut in altera familia fit) sed una et eadem enarratione demonstrat initium et decursum. (Cf. col. 700, 701 M., p. 426 G. var. C. D. G. cum cont. Roet. c. 1 p. 489.) Itaque si quis locos quibus in hac parte ad superiora provocatur ad eum referre volet, qui utramque narrationem ad unum conduxit, separato quodam volumine posteriorem particulam non sine caussa

„Aucuns des crestiens en firent plusieurs chansons mais nous n'en metrons que une en nostre livre."

Qui Philippo totam adtribuit, eius opinio neglecta illa quidem a Paulin. Paris., qui accuratius de carminibus egit (l. a. XXIII. p. 675 sqq.), explosa est ab editoribus recentissimis (praef. p. IX.).

[1]) Edidit eam primus Beugnot, Assises de Jérusalem. t. II. Paris. 1843. fol. p. 531 sq., unde sumpsit E. G. Schultz, Jerusalem. Berlin. 1845. 8. p. 107 — 120: in Francogallia saepius repetitam nuper typis exprimendam curavit una cum locorum sanctorum descriptione M. de Vogüé, Les églises de la terre sainte. Paris. 1860. 4.

extitisse censebit. Ideo huius auctor a conglutinatione liberandus est, quae tota ad novum et ignotum compositorem transit.

Simile crimen in se conflavit librarius, qui DGOPd codicum communem fontem exaravit. De cuius imprudentia antequam diiudicemus, de universa illius familiae condicione videndum est. Ex septem libris qui conlati sunt (ad illos quinque B et A accedunt) unus (P) mutilus apparet, quum in a. CIϽCCXLI gestorum explanatione minime integra subsistat,[1]) D desinit in continuationis ad a. CIϽCCXLVIII perductae finem,[2]) A inde cum altera familia facit,[3]) quattuor reliqui (BGOd) novum quoddam exhibent complementum. Ac B quidem licet hucusque lectionem praebeat quae nuperis quidem editoribus optima visa est ideoque ut fundamentum adhibita, iam corruptus ubique existit eiusque loco librum G editionis academicae auctores substituerunt. Accedit, quod intercepta subito in a. CIϽCCLXVI rebus (p. 449), ubi adscriptus est a. CIϽCCLXIV, est in illo exemplo narratio: in G producitur ad a. CIϽCCLXXV (cf. XXXV. 26 p. 472), unde editores d codice usi sunt. Adnotandum tamen est totam hanc continuationem, quamvis aliquotiens accuratiore quam reliqui aetatis fontes historici relatione

[1]) XXXIII. 55 p. 426: „Or retournons à parler de la tere de Surie. Il avint ensi com vos aves oy ce Richart fil Angier, le mareschaut l'empereor, si fu partis de Sur, Henri son frere estoit o lui et lor femes emporterent grant avoir et estoient meus por passer en Puille." Quae illis acciderunt, desiderantur. (Cf. reliqui codices l. a. Sanut. secr. fid. cruc. III. 11, 16 p. 216. Wilken. VI. p. 625.)

[2]) Hunc finem quamvis operi auctor ex codicum autoritate videatur imposuisse, at noluisse certe eum imponere demonstrant verba futuram pleniorem explanationam pollicita: „Nos lairons ores à parler dou fait d'Antioche et des Turquemans por ce que il nos covient porsivre la matiere de ce livre, et mener à ordre ensi come les choses sont avenue en la terre de Surie." XXXIII. 62 p. 435. Codex D explicit XXXIV. 1, 436: Ce fu l'an de l'Incarnation Jeshu Crist CIϽCCXLVIII ans.

[3]) Comp. XXXIII. 57 p. 431 et cont. Roet. c. 41 p. 565. Vid. plenius supra dicta.

excellat,[1]) nihil esse nisi aridorum annalium congeriem plurium manibus confectam.[2])

Unius auctoris contra opus praecedens videtur esse pars, quam in Cypro aut Ptolemaide compositam esse nuperi editores censuerunt,[3]) annos CIƆCCXXIX—CIƆCCXLVIII complexa. Auctoris eidem[4]) singularem rerum Italicarum peritiam, Gallicarum imperitiam adnotaverunt. Etenim praeter rerum in regione transmarina illa aetate gestarum expositionem,[5]) cui quae praestet novimus adhuc nullam, auctor longius digreditur ad ea quae tunc in Italia acciderunt, Galliam ne attingit quidem nisi quod de concilio Lugdunensi pauca ad Friderici II. cum regno Hierosolymitano rationes spectantia refert et inter hoc concilium Ludovicum IX. morbo conreptum crucem assumpsisse dicit. Quodsi quaerimus aptene ac quasi de consulto huius „continuationis“ scriptor superiora exceperit an durum quid intersit aut minus conveniat, fatemur duplex iudicium faciendum esse codicum genere alterutro spectato. Nam quae a Martenio et postea a Guizoto narrationis edita est series, in ea rectissime secernitur pars inde ab a. CIƆCCXXIX producta a priore qua iam res a. CIƆCCXXXI tractantur. Sunt enim neglegentius hucusque omnes locuti, qui primam continuationem in a. CIƆCCXXIX rebus subsistere dixerunt. Quippe post Friderici in Italiam reditum („primo madii“ factum v. breve chronicum de rebus siculis a Roberti Guiscardi temporibus.... apud Huillard-Bréholles hist. dipl. Frid. secundi t. I. p. 902; cf. introd. p. CCCXLI) et Saracenorum incursum, qui a. CIƆCCXXX

---

[1]) In ea totus innititur Sanutus III. 12, 1 sqq. p. 217 sqq.

[2]) Cf. ed. acad. praef. p. IX.

[3]) Cf. l. a. p. VIII.: „Cette partie des chroniques doit être l'oeuvre d'un écrivain français établi en Chypre ou à Saint Jean-d'Acre.“

[4]) L. a. p. IX.: „L'auteur, en effet, est fort au courant des choses d'Italie, mais il sait mal ce qui se passe en France, à cette époque.“

[5]) Eius fidem ac virtutem satis testatur egregii bellorum sacrorum scriptoris Frid. Wilkenii explanatio (l. VII. c. 15 — 19 t. VI. p. 521 — 652). Cf. etiam Huillard-Bréholles historica diplomatica Friderici secundi: introd. p.CCCXLV sqq.

accidisse videtur (cf. Wilken. VI. p. 520, 521, contra quem vid. infra dicta), narratur, quibus condicionibus factum sit, ut Joannes Brennensis imperium Constantinopolitanum susciperet, quaeque post ea quam Constantinopolim auctumno a. CIƆCCXXXI (cf. Raynald. ann. eccl. a. 1231 §. 57) pervenit ad illud stabiliendum gesserit. Desinit igitur qui haec persequuntur codicum CDG et praeter eos longe plurimorum narratio in extrema librorum Bernardi subscriptione insignium verba: quam rem ideo memoratu dignissimam puto, quod ea sola illorum qui Bernardum Arnoldi codice usum esse hunc continuationem decerpsisse opinantur sententia satis superque explodi mihi quidem videtur. Hanc igitur relationem nemo erit qui excepturum fuisse ne dicam bene excepisse crediderit eum qui res ab a. CIƆCCXXIX usque ad a. CIƆCCXLVIII gestas optime explanavit: scilicet quum tristem imperii Constantinopolitani statum pinxit, Joannem in Galliam profectum quo pacto illius barones imperatorem elegerint multis rettulit, nequaquam praesagiebat haec omnia subiunctum aliquando iri narrationi scriptoris illa etiam pluribus persecuti. Uterque in manus devenit hominis coeca quadam materiam undique capiendi cupiditate praediti, quali illis temporibus plures excelluisse constat. Cuius coecitatis librarios participes fuisse non est mirum: verum etiam prudentissimum virum, Wilkenium, decepit,[1]) qui unam rem, Saracenorum incursum, prius alterius verbis adumbratam (col. 700, 701 M. p. 426 Guiz. p. 177 var. CDG ed. acad.) et ipsam postea alterius expositione accuratius explicatam (col. 704 M. p. 436—438 Guiz. XXXIII. 17 p. 383 sqq. ed. acad.) duas fecerit. Rectissime igitur Guizotus differentiis in utraque parte obviis se prohibitum significat (p. 433 adn. 1), quominus unius ambas auctoris esse crederet. Idem quod ad illum terminum, quo finiri vidimus codices T et R pluresque alios, Bernardi thesaurarii operam pertinuisse putavit perquam iuste iudicavit: a

[1]) Idem accidit Huillard. Bréholles (v. hist. diplom. Frid. sec. t. III. Paris. 1852. 4. p. 99 adn. 1).

vero aberravit in eo solo, quod Hugoni Plagoni reliqua tribuenda esse arbitratus est (praef. p. VI.).

Jamiam restat, ut de altero genere, de quo superstites habemus B et A libros, iudicium edicamus. Ab uno autem et eodem — ut statim dicam, quid sentiam — profecta sunt, quae in illis leguntur de rebus transmarinis ab a. CIↃCCV ad a. CIↃCCXLVIII gestis (XXX. 11 p. 305 — XXXIII. c. 62 p. 435 ed. acad.). In his enim, quae in prioribus editionibus explanatio tanquam dilacerata videbatur, quam arctissime cohaeret cum superioris cursu ac pari par membrum accedere apparet. Utraque parte iam sub uno adspectu posita altera alterius loci explicari videntur et quod Sanuti pleno libro usi auxilium non sine difficultate Wilkenius sibi paravit, id vix quisquam desiderabit.

Sed quoniam ab eorum quorum opera narratio illa integra lucem vidit sententia a me confidenter prolata vehementer differt, accuratius haec quam statuo partium aequalitas ab illis non animadversa nunc est demonstranda. Et gallicarum quidem rerum imperitiae manifestum signum in priore parte deprehendi ipsos advoco qui testentur. Quippe dum totus in provinciis transmarinis auctor versatur, inopinata haec evadit conversio (XXXII. 22 p. 362): Apres ce que li rois Lois de France, li fiz dou roi Phelipe, fu seignor en chef, il sot que cil de Tolose se furent revelez contre lui et orent chacez ses homes et partie ocis. Quibus iratus Ludovicus VIII. Avenionem expugnasse breviter refertur: tum statim (cap. 23 p. 363) ad expeditionem a Friderico II. praeparatam transitur. In illo capite ubi Hugo comes de Sancto Paulo commemoratur, Guidonem confundi cum Hugone Blesensi ipsi editores adnotant.[1])

[1]) Cf. adn. p. 362. Eidem hoc caput a reliquorum serie absonum iudicaverunt: „Notre chroniqueur présente l'expédition de Louis ... sous un jour tout particulier." Simili modo supra (XXXII. 12. p. 339) narrationis cursus intercipitur Francisci viri religiosissimi rebus plenius expositis.

Quod vitium satis compensatur rerum italicarum cognitione[1]) eius quam in posteriore parte illi attenderunt consimili. Nam digrediendi caussam nactus de Apulia a Friderico occupata,[2]) Joannis Brennensis itineribus,[3]) Friderici cum huius filia nuptiis,[4]) incursu de consilio pontificis maximi instituto in Friderici quum in terra sancta fuit regnum suscepto atque irrito facto,[5]) harum rerum omnium singularem peritiam praebet, imo cum Italiae regionibus paene arctiorem familiaritatem quam cum transmarinis ostendere videtur. Ut taceam de sermonis in utraque parte aequitate atque de eiusdem animi et indolis exemplis, id unum observare iuvat scriptorem, licet de Damiatae obsidione ampla memoriae tradiderit et quibus Jacobi de Vitriaco Oliverii aliorum enarratio multis nominibus amplificetur, inter ipsam obsidionem Ptolemaide degisse. Etenim non solita animi alacritate perturbationem pinxit illa in urbe dum de capta turri Damiatina laetantur ob subitarium hostium adventum coortam (XXXII. 2 p. 230). Etiam reliquae explanationis ut ita dicam umbilicum illud regni Hierosolymitani caput esse facile patet.

Adhibuerunt utramque sine discrimine partem Marinus Sanutus Torsellus[6]) et Amadi Cyprius auctor, ut Mas-Latrie

---

[1]) Cf. Huillard-Bréholles l. a. III. p. 481: „L'auteur inconnu dè cette continuation de Guillaume de Tyr est bien renseigné sur les affaires d'Italie pendant les premières années du XIII. siècle.“

[2]) XXXII. 18 p. 353 sqq.

[3]) XXXII. 19—21 p. 355—357.

[4]) XXXII. 21 p. 357 sqq. Totum hunc locum ante a ediderat Huillard-Bréholles l. a. II. p. 921 sqq.

[5]) XXXIII. 12 p. 378 sq. cf. Huillard-Bréholles III. p. 156, 1; 162, 1.

[6]) Sanuto qui Jordanum (in Raynald. ann. eccles. a. 1218 §. 18 cf. ed. acad. XXXII. 21 p. 360 et Sanut. secr. fidel. cruc. III. 9, 7 p. 208 ed. Bong.) parem fecit Mas-Latrie II. p. 15 adn. 3 (cf. Huill.-Bréholles III. p. 481), quoniam praeter Heraclii libros etiam illius secreta fidelium crucis usurpasse concedit, sine idonea caussa fecit. Facillime enim Jordani verba ex solo Sanuto repeti poterant, sicut in reliquis, quae a Raynaldo quidem edita de Joannis et Friderici rebus sunt, unum illum Veneti librum fontem extitisse suo quis iure defenderit. Cf. XXXI. 6 p. 317, unde.

testatur (t. II. p. 11 adn. cf. p. 10 adn. 3 p. 9 adn. 2, 3).[1]) Hunc autem praeter commentarios, quos Gerardo de Monte regali adtribuendos esse suspicati sunt (v. Mas-Latrie t. II. praef. p. VI), Cypriorum fastos a Philippo de Navarra, insigni iuris consulto, compositos adhibuisse novimus. Qui liber nunc deperditus, si eius auctori[2]) fidem adiungamus, multas res

Sanutus III. 11, 5 p. 207	et Jord. l. a. 1210 §. 33;	unde Andr. Dand. chron. X. 4, 18 (XII. col. 337)
„Agareni vero attendentes quod Rex Johannes et qui cum eo transierant, longe quam putaverant, inferioris essent potentiae satis cito post coronationem ipsius congregato exercitu, inter caetera Christianis molesta, castrum firmaverunt in monte Thabor, novem leucis a Ptolemayda, ut eandem civitatem amplius molestarent, unde et ante ipsam saepius discurrebant, peregrini quoque repatriabant; nec remanserunt homines multum divites ac potentes."	„Saraceni autem videntes eum inferioris esse potentiae quam putabant, firmaverunt castrum in monte Thabor et ante Ptolemaidem saepius discurrebant, propter quod multi peregrini repatriabant divites et potentes."	„Saraceni autem videntes rum inferioris esse potentiae quam putabant, firmaverunt castrum in monte Tabor, et ante Ptolemaidam saepius discurrebant, propter quod multi repatriabant."

III. 11, 6 p. 207 = 1217 §. 40; 7 p. 207 = 1218 §. 7; 7 p. 207 = 1219 §. 17, 18; 9 p. 210 = 1221 §. 10; 1 p. 207, 208 = 1224 §. 19; 10 p. 201 = 1226 §. 11; 11 p. 212 = 1229 §. 29. Locum ad a. 1226 allatum gaudeo quod pleniorem typis exprimendum curavit Muratori (antiq. Ital. t. IV. col. 992): quia quanta levitate sua sibi ex Sanuto decerpserit Jordanus statim ex verbis elucet his: „Tunc Alamanni Castrum de Monte Forti ceperunt" (Sanut. III. 10, 10 p. 211: „Tunc Alamani castrum de Monte forti firmare ceperunt;" cf. ed. ac. XXXIII. 25 p. 365). Raynaldum (ad. a. 1313 §. 9) Marinum ex Jordano hausisse opinatum refellit Kunstmannus (comment. acad. Monac. cl. hist. t. VII. p. 734); Jordanum non nulla ex Andreae Danduli chronico (X. 3, 25 sqq. cf. ann. ad. 1202 §. 37) repetivisse ut crederet, Raynaldum miro quodam errore perductum esse facile liquet, modo supra adscripta contuleris et alia exempla (Jord. ap. Rayn. a. 1203 §. 6 = And. Dand. X. 3, 13 p. 318 ap. Murat. l. a. col. 993 = A. D. X. 4, 46 p. 344).

[1]) Quo loco Amadi recentissimo rerum Cypriarum scrutatori fraudi fuit (cf. cod. D p. 203 ed. acad., d apud Mas-Latrie III. p. 595).

[2]) Intellego ea quae alius operis („les quatre tens d'aage d'ome," de quo libro exposuit Beugnotus in bibliothèque de l'école des chartes. t. III. p. 23—31)

respexit, quas plenissime tractatas in corpore nostro transmarino videmus. Quae tandem utriusque operis sit ratio, quum alterius ne reliquias quidem adire liceat, recte aestimari nequit. Haec igitur intacta nunc linquenda sunt.

Denique si huius partis auctor, cui totam recensionem in B et A servatam deberi aliquo saltem iure conieceris,[1] quis fuerit, enucleare conamur, quamvis ipse talem quaestionem futuro tempori committere maluerim, quam immaturo infelicique conatu hoc loco aggredi, non possum non singularem illam Italicarum rerum peritiam iterum atque iterum in memoriam revocare. Cui dummodo non nulla alia addideris, fortasse ad dominorum Sidoniorum[2]) familiam vel potius ad hominem cum illa conjunctum[3]) libri componendi negotium rettuleris. Sed de hoc alias: nunc enim ad graviora accedere decet.

1ª Continuationis Origo

Caput III.

Quoniam posteriorum studium ad corpus ubique divulgatum accessisse in eoque varia ab auctorum consilio absona interposita supra intelleximus, iam ea in parte cuius diversissimae in libris manu scriptis formae existunt omnibus viribus erit enitendum, ut genuinum operis habitum indagemus et in

---

fini subscripta sunt (cf. Fel. Laiard in hist. lit. Gallic. t. XXI. p. 443). Quae etsi ab auctore illo abiudicare malueris, at indigna certe fide esse vix demonstrabis.

[1]) Hanc coniecturam (quanta ei obstent, ipse non ignoro) cum successu tum demum persequemur, si de primi fundamenti origine habituque inter omnes constiterit.

[2]) Balianus ille in Italia ipsisque in locis, quorum notitia illa pars excellit, non minus quam in plerisque rebus enarratis multum ac cum laude versatus est.

[3]) Ut dicam, quid sentiam, ad Godefredum Taurum (dipl. a. 1233 ap. Mas-Latrie II. p. 57) sive Tortum, virum bis in Italiam legatum nec, si Beugnoto (Assises de Jérusalem. I. Paris. 1841. p. 435) credimus, iuris imperitum, quae de compositoris persona congerere liceat, ad unum omnia convenire existimo.

mole perquam sui dissimili quid ab archetypi auctore profectum quidve corruptum novatum additum sit certa discernamus ratione. Qua in re plurimi sane faciendum est, quod in uno alterove codice interpolatoris recentioris detexerunt operam ipsi qui se a tali homine decipi passi sunt: quam operam si male adhibitam etiam in B et A agnoverimus, illorum laus ad fautorum benevolentiam tota redibit. Atque horum quidem opinionem superioribus duabus in caussis satis arbitror fractam esse. Etenim familiarum divisione codices ita distinctos vidimus, ut apta diripiantur iungantur inepta: porro illi editores statuerunt Bernardum a. CIƆCCXXXII Arnoldi narrationem in a. CIƆCCXXIX rebus subsistentem usque ad a. CIƆCCXXXI produxisse,[1] quamvis Arnoldi fons[2] annis duobus proximis gesta verbis quae Bernardo in mentem venerunt plane eisdem complecti videatur. Quae ne statuta a somniantibus suspicemur, in memoriam revocemus oportet qui illa edixerint eis Arnoldi fontem subsistere in a. CIƆCCXXIX visum esse codicibus DGC reliquisque praeter B et A omnibus cum librorum qui extent Arnoldi aut Bernardi nomine insignes exitu omnino non conlatis.

Ut autem quaestio de codicum generibus instituenda quadamtenus solvatur, editio recentissima fere sola sufficit: sed tamen alia circumspiciamus auxilia, ut Arnoldus quoque suum in locum restituatur. Hunc igitur epitomen ex continuatione Guilelmi Tyrii fecisse disertis quidem verbis dixerunt demonstraverunt nullis: ipsius enim „epitomae“ adspectum nunc nobis subtrahendum suoque quem finxerunt loco concedendum decreverunt. Quam iniquitatem quod aliquatenus compensavit,

---

[1]) Praef. p. V. „C'est, en effet, jusqu'à cette année que s'étendent les deux manuscrits [T et R]. Bernard ne serait donc l'auteur que de cette partie de la chronique qui embrasse l'espace écoulé de 1229 à 1231 et pour tout ce qui précède, il se serait contenté de copier Hernoul . . . .“

[2]) Arnoldi quem dicant fontem non B et A relationem qualem ab Amalrici morte (p. 305 ed. acad.) habeamus esse posse nemo est quin videat.

Buchonio debemus viro sollertissimo qui indefesso studio ea conlegit ediditque omnia quibus Francorum imperii Constantinopolitani rebus lucem afferri vidit. Is codicem Z inspexit et magna parte excussa nos donavit una cum gallici chronici Moreotici editione (Recherches historiques sur la principauté française de Morée et ses hautes baronnies. Prem. époque. T. I. Paris. 1845. 8. app. I. p. 479—505). Locum quidem qui auctoris nomen prodit in simili exemplo Bernensi a Beugnoto repertum quum codicis Z particulam priorem evolveret[1]) non perlegeret plane praeteriit: aequalem tamen rebus enarratis auctorem atque in regionibus transmarinis versatum ex diligentissimis locorum descriptionibus eruit. Codici adhibito quae cum Bernardi thesaurarii cuius nomen prae se fert editione Guizotiana aut cum textu Martenii ratio intercedat, a Buchonio ne in transitu quidem respectum est. Ad huius opus accedunt breves notae, quae praeter Beugnotum et editionis nuperae praefationem (p. II. IV. V.) Paulinus Paris (mss. gall. VI. p. 157 sqq. hist. lit. Gall. XXI. p. 683) et Mas-Latrie (I. 7^3 21^4 alibi) de codicibus Z et Y offerunt.

De Bernardi libris T et R, quem a Raumero (III. p. 372—457) in extrema certe parte docemur nihil habere cum B et A commune (cf. ed. acad. praef. p. V. VI), nonnulla exhibet Mas-Latrie (II. p. $6^{5.7}$, 7^3, 9^1, 10^3, 20, 21, 22), qui etiam X inspexit (cf. p. 20 — 22). Sed in subsidium poterit vocari Franciscus Pipinus, qui librum gallicum Bernardi nomine ornatum decerpsit eoque usus est etiam in chronico componendo: sunt tamen ei demenda quae relationis gallicae cursui ex aliis

[1]) Refert (p. 501) fol. 11 legi regni Hierosolymitani adumbrationem, fol. 16 v. sqq. narrari Heraclii nequitiam et Guilelmi Tyrii mortem; fol. 35 v. accuratissimam Hierosolymorum descriptionem, fol. 49 occupatam, fol. 52 venditam Guidoni a Richardo Cyprum reperiri: expeditionis quam typis exprimendam curavit historia incipit fol. 61. Quod fol. 239 mores incolarum terrae sanctae corruptos castigari ait (p. 502), id vitium scribentis ipsius aut typothetae manifestum est, quum illa narratio non occupet nisi 85 folia. Scribendum esse non dubito fol. 23.

interposuit auctoribus. Quae quo modo inveniantur, demonstrare coepit Muratorius (cf. praef. p. 661): is enim totum illum de Damiatae obsidione locum (ex Vincentii Bellovacensis spec. hist. XXX. 79—94 haustum et Oliverii hist. Damiat. c. 1—27 ap. Eccard. vel Jacobi a Vitriaco cuius apud Bongars. perhibetur libro III. p. 1129—1145 respondentem) et alia quae Vincentius et Brochardus offerunt ab Bernardo aliena iudicavit taliaque aliquotiens satis consignavit (cf. c. 157, 792; 166, 801; 176, 811; 181, 816; 191, 826). Nostra aetate Otto Abel in egregia de chron. Ursperg. commentatione (Archiv der Gesellschaft für ält. d. Geschichtskunde t. XI.) p. 97 ostendit arreptos a Pipino esse breves Itali cuiusdam de Friderici Philippi Augusti Richardi expeditionibus commentarios,[1]) qui etiam Burchardi in manus devenerint.[2]) Sed novum nobisque inexspectatum Pipini fontem et ipsum gallicum quocum Bernardus quamquam communia habeat scite tamen ab eo distinguendus sit odorati sunt editionis academicae auctores[3])

---

[1]) „Brevis historia occupationis et amissionis terrae sanctae“ singulatim typis expressa est cura Eccardi (Corpus hist. med. aevi I. col. 1349—54) ex codice tunc Moguntino (praef. ad V.) nunc Pomersfeldensi (cf. Archiv IX. 533), in quo quum post Morenarum chronicum legatur a Pipino usurpatum (v. Murat. IX. 585) probabile est huic simillimum ad manus fuisse librum manu scriptum.

[2]) Cf. chron. Ursperg. ed. Argentor. 1609. fol. p. 228—230, 232—233.

[3]) Praef. p. VI. adn. 1. „Pipin ne s'est pas contenté de traduire le texte de Bernard; il a aussi fait quelques emprunts à d'autres récits et notamment à la chronique qu'il cite sous le titre de: „Historia acquisitionis Terrae sanctae“ (Murat. p. 667). Ce dernier ouvrage, comme l'a démontré M. le comte Beugnot (p. XXV. de la préface du tome I. des Historiens occidentaux des croisades et Assises de Jérusalem t. II. p. 195) n'est, sans doute, que la réunion de la traduction et des continuations de Guillaume de Tyr.“ Ac Beugnoti quidem qua nemo non lubentissime utitur auctoritate quid efficiatur duobus locis allatis, ex superioribus satis patet: unum id miror, quod solum ad p. 667 ablegant, quum „historia acquisitionis Terrae Sanctae“ advocatur etiam I. c. 23, 603; 26, 610; 33, 618; eius scriptor c. 23, 617. Differunt sane hi loci ab illo, scilicet eis gallicus liber ipsius Bernardi significatur, dum in illo ne ad gallicum quidem respicitur.

„historiam acquisitionis Terrae sanctae" ad quam Pipinus ablegare t. VII. p. 667 dicitur ablegat in chronico IX. p. 667. Hanc docemur nihil esse nisi corpus ex Guilelmi versione et continuationibus conflatum. Nimirum suam ipsius historiam acquisitionis terrae sanctae Pipinus voluit intellegi,[1]) ad quam paullo post compositam unoque ni fallor cum chronico comprehensam volumine[2]) optime ablegavit, si qui de expeditionibus in hoc non accuratius descriptis plura anquisiverint.

Jam iuvat quo Pipinum adiutorem consequamur continuationum editionem nuperam conferre. Ex quinque igitur codicibus qui integri excussi sunt cum Pipini fonte facile liquet minime B et A raro D saepius C plerumque ne dicam ubique G conspirare ita ut quae CDAB non habent cum G communia fere semper apud Pipinum frustra quaesiveris.[3]) Finiebatur

---

[1]) Cf. IX. p. 667: „De profectione.. peregrinorum contra Damiatam et captione Hierusalem per Conradinum Turquiae Soldanum et miseria obsessorum in Damiata et captione eiusdem Urbis......" cum capitum h. a. t. s. (t. VII.) 190, 199, 200 titulis. Captionem quam sibi finxit Hierosolymorum eisdem verbis descriptam videbis c. 196 (VII. 832).

[2]) H. acq. t. s. 128, VII. 768: „Sed haec Historia non hic prosequitur, quum posita sit supra sub temporibus Friderici Primi." V. etiam c. 179, 814; 183, 819.

[3]) Universum codicum cum Pipino rationem et additamenta ex auctoribus aliis petita cognosces ex comparatione cum editione academica instituta, unde facile locorum mutationes a Pipino factae produntur: c. 146 = XXIII. 2, 4, 5, c. 147 = XXIII. 6, 8, 17, c. 148 = XXIII. 17, 18, c. 149 = XXIII. 18, 19, c. 150 = XXIII. 20—21, G var. p. 33, XXIII. 20, 24, c. 151 = XXIII. 24 —27, c. 152 = XXIII. 28—30, GC var. p. 47, c. 153 = GC p. 48—53, c. 154 = GC p. 53—58, c. 155 = GC p. 58—62.... 63—65, c. 156 = GC p. 66—70, c. 157 = GC p. 70—71, XXIII. c. 47....... ABD XXIII. 34 (= GC) c. 48, c. 158 = XXIII. 10, 11, 49, 50, c. 159 = XXIII. 50, 51, c. 160 = XXIII. 52—54, c. 161 = XXIII. 54—56, c. 162 = XXIII. 56—58, c. 163 = XXIII. 59, 60, c. 164 = XXIII. 61...... XXIII. 62, c. 165 = XXIII. 62, 63, XXIV. 1, c. 166 = XXIV. 2..... c. 167 = XXIV. 2, c. 168 = XXIV. 2—4, c. 169 = (XXIV. 5)...... c. 170 = XXIV. 10—12, c. 171 = XXIV. 12—14...... XXIV. 15 GC p. 150, c. 172 = GC p. 150—155, c. 173 = GC p. 155, 149—152, c. 174 = GC p. 155, 161—164........ c. 175 =........ c. 176 =....... GC p. 177.... c. 177 = GC p. 177—185, c. 178 = GC

codex quo Pipinus usus est eodem modo atque C (cf. D et G ed. ac. p. 379) librique Bernardi subscriptione instructi T et R, quamquam ille ubi de Joannis Brennensis cum Friderico imperatore rebus exposuit c. 207 (VII. col. 846) „haec, ait, de gestis Regis Johannis sumta sunt ex historia Bernardi Thesaurarii. Qualis autem fuerit exitus, non inveni, vel quod Historiam non compleverit vel quod Codex unde sumpsi fuit imperfectus." Ne quis igitur imperfectum reapse Pipini codicem eaque quae T et R post pacem a. CIOCCXXIX compositam praebeant illi ignota fuisse credat, conferendum est chronici caput 40 l. I. (IX. 623, 624.)

Quodsi rem ipsam aggredimur, paucis exemplis satis demonstrari posse arbitror, quam leviter quamve iniuste iudicaverint, qui aeque Arnoldum ac correptae quam statuerunt recensionis compositorem cuius quasi sectatorem et testem codicem G denuo typis exprimendum curaverunt ex textu quem integrum dederunt B et A codicum sua mutuatum opinati sunt, et quanta obstent quo minus C et D sicut illi fecerunt cum B et A coniungamus a G secernamus. C enim in verbis quidem persaepe in rerum tamen universa tractatione a G fere nusquam derelinquitur. D in hac aliquotiens a G dissentit, alibi

p. 185—191.... GC p. 224, c. 179 =.... GC p. 191—193.... GC p. 196—197, c. 180 = GC p. 197, 198, XXVII. 1...... c. 181 = XXVI. 14 (23)...... GC p. 219, 220, 228—230. c. 182 = (XXVII. 5) GC p. (224) 225—228, c. 183 = XXVII. 21—25, XXVIII. 3, 5, 6, c. 184 = XXVIII. 1, 2, c. 185 = ... GCD p. 310, c. 186—204 = ... addit. ad c. 200 = GCD p. 340, 341, c. 205 = GDC p. 341—344, c. 206 = GDC p. 352—363, c. 207 = GDC p. 364—370, 375—377, c. 208 = GDC p. 370—372, 346—350. In chronico ad Bernardum pertinent hi fere loci: I. 3, 6, 22, 23, 25, 26, 28—38, 34—40, II. 2—4, 23—31, admixti tamen plurium aliorum testimoniis. „Brevem historiam occ. et amiss. t. s." Pipinus ad verbum secutus est in hist. acquis. c. 171 col. 806 v. 48—71 (= col. 1359 vv. 16 ult. et col. 1351 v. 9—17 c. 675 col. 809 v. 6 ult. et 810 v. 1—30 (= col. 1352 v. 21—59) 42—45 (= ib. 12—64) c. 176 v. 59 sqq. (= col 1352 v. 43 sqq.) c. 179 col. 813 v. 40—53, 814 v. 2—15 v. 15—18 (= 1353 v. 10—24, 24—36, 38—42) c. 181 col. 815 v. 64—816 v. 3 (= col. 1354 vv. 10 ult.). Quae praeterea supra desiderantur hausta sunt nisi omnia, at pleraque certe ex Vincentio Bellovacensi.

tamen et pluribus locis quam evidentissime cum G et C facit. A et B qui sane perquam raro cum G conspirant, scilicet cum C et interdum D coniuncto, paene usquequaque opposita sunt aut G et C aut his cum D congruentibus. Ex quinque his codicibus nemo cum Z arctiorem familiaritatem exercet quam C.

Ut autem ab initio eamdem quam de extrema parta narrationis res inde ab Amalrici morte gestas complexa animadvertimus, apertam codicum B et A a reliquis omnibus differentiam in superioribus quoque deprehendi videamus, conferre iuvat ea, quae de Cypro insula a Guidone rege habitatoribus repleta utraque habet pars. Ac Z quidem teste Buchonio p. 503 sq. haec offert: „Or vous dirai que li roys Guys fist quant il ot chele tere acatée. Il envoia en le tere d'Ermenie, et en Antioche, et à Acre, et par toute le marine, ses messages; et si mandar par tout qu'il venissent parler à lui en l'ille de Chypre, tout chil qui venir y vaurraient, et il lor donroit teres et garisons, tant come il en oseroient demander par raison. Li chevalier qui deshireté estoient, cui li Sarrazin avoient lor teres tolues, et les vefves dames qui lor seigneur avoient esté ochis ès batailles de Sarrazins, et les puceles orfelines alerent là toutes au roy Guion; et si lor donna teres et garisons à grant plenté; ne nus n'i aloit que il ne donast tere à grant plenté. Il maria les dames vefves et les pucheles orfelines, et si lor donna tant qu'il fieva trois cens chevaliers en le tere, et deus cens serjans à cheval, entre les bourgois et les maroniers, cui il dona grant garison, à cascun selonc chou qu'il li sanloit estre vaillans. Quant il ot tant donné, il ne li demoura mie tant qu'il peust tenir vingt chevaliers de se tere avenc lui."

Quibuscum in universum consentiunt Bernardi codices T et R, tum J, K, ι (cf. Mas-Latrie II. p. 89) d. (cf. eiusd. III. p. 594) CDG (ed. ac. p. 188 de G Mart. col. 638 Guizot. p. 198). B et A initium fere eadem atque Z exhibent; de vi contra edicti haec (ed. ac. XXVI. 12, 191): „Dont il y vint

gent dou roiaume de Jerusalem et de Triple et d'Antiochie et d'Ermenie. Et furent establi li fié à quatre cens besanz blans le chevalier, et a trois cens besanz blanz li turcoples à .II. chevaucheures et hauberjon; et furent assené en terre, et dona borgesies ès citez."

Mas-Latrie, qui primus haec edidit (II. p. 8), interpolationis exemplum ait deprehendi: at vereor, ne vir egregius integra autumaverit adulterata, novata genuina.[1]

Similes discrepantias ac graviores etiam multis in locis ad saec. XII. pertinentibus reperimus, in expeditionis Francorum ac Venetorum enarratione a Buchonio publicata leviora discrimina adparent sed tamen idonea, ut discedere cogamur a sententia eorum qui B et A codices ceteris praestare censuerunt.

Illa enim egregia veteris linguae monumenta semel atque iterum esse mutila ut concedamus, pauca sufficiunt exempla. Velut Z p. 498: „Chil li Vernas avoit à feme le sereur le roy de France, chelui qui ot le fil l'empereur Manuel c' Androines fist noier." B et A (XXIX. 13 p. 289) soli verba „le fil" omittunt ideoque sibi ipsis repugnant (XXIII. 12 p. 17) ac sententiam omnino pervertunt. Nihil aliud factum in his: Z p. 491: „Li marchis ala aveuc et mena l'empeerris sa feme qu'il avoit espousée, qui feme avoit esté l'empereur Kir-sart, et mere l'empereur que Morchofles avoit estranlé, et sereur le roy de Honguerie," ubi quoniam in B et A (XXIX. 1 p. 277) „le mere" deest Jsaacius a Murzuflo trucidatus evadit. CDG in his sani sunt, integrum librum habebat Pipinus quoque (chron. IX. col. 619).

Non minus vitiati B et A sunt hoc in loco: Z p. 485: „Là atournerent que li quens de Flandres aroit cent mille mars pour lui et pour ses chevaliers de se tere, et li quens

[1]) Cui si quis codicis C verba favere putat paullo post (p. 189) de Amalrico haec proferentia: „il vit qu'il avoit poi de terre et que les terres que ses freres avoit donees en pris nomé de besanz valoient a double," conferendus est Z (quocum G facit) pro illo quovis pretio exhibens: „pour mile besans."

Loys aroit cent mille mars, et li marchis de Monferras cent mille mars, et li dus de Venisse cent mille mars, et li quens de Saint-Pol cinquante mille mars.“ Eadem et Pipinus legit (col. 616: „Verum alibi legitur, quod Comitibus Flandrensi et Blesensi centum milia Marcharum pro quolibet, Marchioni de Monteferrato, et Duci Venetiarum tantumdem pro quolibet, Comiti Sancti Pauli quinquaginta millia, et quae pro naulo dederant, persolveret [Alexius]“) et codicis C librarius exaravit nisi quod comiti Hugoni de Sancto Paulo item centum milia marcharum adtribuit: contra in DG (ed. ac. XXVIII. 13 p. 264) g (testibus Hopfio et Betantio) comes Blesensis cum sua portione desideratur: in B et A denique haec evadunt: „La atirerent que li cuens de Flandres auroit cent mile mars d'argent et li cuens de Saint Pol L mile.“

Nihil sane saepius solet fieri, quam ut scribentium oculi ad verba paria loco inferiore posita aberrent, at non minus intellegitur codices talibus mendis inquinatos et archetypi valde iam dissimiles non posse exhiberi quasi reliquorum librorum fontis vicarios.

Corruptum illud codicum genus proditur etiam his: Z p. 490: „li dus de Venisse ..... vaut faire marquié de l'avoir assanler as Franchois, que il feroit l'avoir de le chité amasser as ses homes, et mettre d'une part, et les mueubles, et si donroit à cascun — chevalier quatre cens mars et à cascun prestre et à cascun serjant à queval deus cens mars et à cascun — home à pié cent mars. Ainsi l'eust il fait et creanté, mais li Franchois ne le vaurrent mie otroier; ains en embla on tant et destourna, devant che que on partesist as Venissiens, que, de le partie as Franchois, n'ot li chevaliers que vingt mars, et li prestre et li serjant à queval dis mars, et li serjant à pié cinq mars.“ Haec ex altera parte gravissimis confirmata testimoniis[1]) ex altera prout auctor evincitur fide certe digna

[1]) Nec Godefredus de Villa Harduini (ed. Buchon. 1840. p. 100) repugnat nec Robertus a Clariaco (s. 98 ms. Havn. fol. 124 v.), nisi quod nova quaedam

in B et A ita sunt decurtata, ut verba consignata frustra quaeras. CDG cum Z aeque conveniunt ac Pipinus col. 619: „Obtulit autem Venetiarum Dux, se expositurum in publicum ex omni spolia per Venetos acquisita quadringentas Marchas pro quolibet Sacerdote et equite, centum vero pro unoquoque pedite.“

Iam vix poterit haesitari, utra librorum pars magis integra iudicanda sit, in eis quibus Henrici Angrensis Balduinum imperatorem quaerentis cura describitur, Z p. 498, (CDG ed. ac. XXIX. 12 p. 288 var. lect. cf. Pipin. col. 621): „uns hons vint un jour; se li dist: qu'il avoit, entre li et deux homes, l'empereur emblé et mené en une forest, et là l'avoit laissié, et les deus homes aveuc lui pour lui garder; et qu'il envoiast aveuc lui parmi chevaliers et serjans; si l'en amenroient. Henris d'Anjau fist armer deus galies et i fist metre chevaliers et serjans et Quenon de Betune aveuc aus; et si les envoia on en le forest où chil les mena, qui est sur Mer-le-Majour. Quant il furent à tere, si descendirent et alerent en le forest.“ B et A nihil habent nisi haec: „un home vint a lui, si li dist que il avoit veu .II. homes qui avoient l'empereor emblé, si l'avoient mené en une forest ou il les mena. Cele forest est sur la mer Major. Come il vindrent la, si descendirent de lor chevaus a tere.“ Is qui de equis descendentes nescio quos fecit, sine dubio codicem secutus est, in quo librarii culpa totus locus a verbo „forest,“ ubi primum legitur usque eo, ubi iterum occurrit, omissus erat.

Qualia quum non raro reperiantur, satis mihi dilucidum videtur communem quem per se habeant B et A fontem interpolatori libris iam depravatis uso deberi.[1])

de clericorum parte addit. Prorsus cum nostro congreditur tertius rerum testis accuratus, auctor „devastationis Constantinopolitanae“ (Mon. Germ. hist. SS. XVI.) p. 12, ubi „milia“ pro „marchas“ editorem posuisse nemo non mirabitur.

[1]) De hac quaestione mox plura videbimus: nunc subiungam locum, in quo quum nullus quidem valde corrupta tamen quisque peculiaria praebeat codex,

Vitiatos etiam XXIX. 13 p. 289 (ubi dissentiunt a Z p. 498 ac CDF) B et A: „quant Henri ot esté bailli de la terre pres de un an" elucet iam ex loco superiore c. 12, 288, ubi tum Z (p. 497) DG tum ipsi A et B habent „plus de un an." (Cf. Nicetas ed. Bonn. 1835. p. 847: ἐνιαυτὸν δ'ἕνα καὶ μῆνας τέσσαρας ἄνευ βασιλέως τὰ κοινὰ χειρίζοντες πράγματα οὐκ ἄλλως κατένευσαν χρῖσμα βασιλείας ὅτῳδὴ τῶν ἐκ γένους χαρίσασθαι, εἰ μὴ πρότερον τὸν Βαλδουίνου θάνατον ἠκριβώσαντο.)

Magis quam in his et similibus tam librarios quam censores suo ingenio indulgentes in nominibus grassari consentaneum est: atque in talibus quidem nescio an recentissimae editionis auctores sine ullo periculo B et A codicum auctoritatem reponere aliquotiens potuissent: nemo enim dubitabit, quin „Et Moranz"[1]) (ABD XXVIII. 4, 255 Enjerans C, Enguerrans Z, Enguerrant g teste Bet., Enguerran G: supra XXVII. 22, 244 Enjorrant A et B Emoranz Sanut. s. f. c. III. 11, 1 p. 202 Bong.) omnino respuendum sit sicut illud Brilamon (B et A XXVIII. 15, 267 Biamont D, Bivamont g teste Bet., Biaumont G, Buimont C, Buimons Z cf. Vill. Hard. p. 70 le chastel Buimont, castrum Boemond epist. Hugonis com. de Sto Paulo in chron. S. Pantal. ap. Freherum, ed. Struv. p. 370, Buchon

minuta illa librariorum opera luculentius cognoscuntur. Est is XXIX. 14 p. 291 ed. acad.: „l'empereris [Jolanthe Petri imp. uxor] avoit une fille et Jofroi de Vile Harduin un fiz, qui avoit nom Jofroi. L'empereris vit que cil avoit grant terre et vit que sa fille i seroit bien mariée, si li dona et il l'espousa." B et A. „..... si li dona sa fille et il la prist a fame, si l'espousa." D et G. „..... si li dona sen fil (a son fill C) il le prist à feme, si l'espousa" Z p. 499. Ceterum illum Moreae principem a quoquam harum literarum studioso cum primario commentariorum scriptore (qui neque ingressus quidem Moream videtur, et ante anni saltem spatium quam illa sponsalia facta sunt mortuus est) confundi posse nemo credet: atqui eidem, a quibus saepenumero ad illorum fidem ablegamur, in vitium abducti sunt (p. 291 adn. a.) a gallici chronici Moreotici auctore commissum (p. 47). Cf. Buchon. l. a. adn. l. et Ellissen, Analekten der mittel- und neugriechischen Literatur. T. II. Lips. 1856. p. 290.

[1]) „Iniorannus" audit in dipl. a. 1222 ed. ex arch. Venet. a Theod. Sickel in Mon. graph. med. aev. Vindob. 1858 fasc. II. 3.

ed. Vill. Hard. p. 66, fontes rerum Austr. II. XIV. 1 p. 308: de nominis caussa v. Anna Comn. p. 302 ed. Paris. p. 238 ed. Venet.). Numeri quoque multis B et A in locis emendentur oportet. Ut duo proponam exempla, XXIX. 3 p. 279, ubi editum est: „il a .XIIII. jornees de Costantinople jusques a Andrenoplo“ absque dubitatione veriorem codicum CDG lectionem IIII. (Z p. 492: „quatre journées“; Pipin. col. 619 „dietis quinque a Cpoli distat“[1]) restituendam esse censeo, contra XXVIII. 18 p. 272 quod CDG (cf. Z. p. 489) tradunt quattuordecim navigia ad incendendam Venetorum classem a Graecis emissa esse, id magis cum gravioribus testimoniis convenit quam quattuor, ut B et A praebent. Cf. epist. Bald. et Vill. Hard. (p. 85), a Wilkenio V. p. 260 adn. 49 iam allata, quibus addere licet Robert. a Clariaco s. 60 cod. Havn. fol. 115 v. et devastat. Cpolitan. p. 11.

Ex tali comparatione similia etiam plura, superioribus in partibus plurima invenient, si quibus nondum satisfecisse videbor: nunc transgredimur ad alterum mendorum genus, quod inest in speciosis illis quidem studii quod nobis vix spernenda aliquotiens affert documentis, sed admodum tamen fallacibus et ex editione in qua redintegratum cupimus textum radicitus tollendis.

Itaque B et A auxilio inopinatum id accidit, ut Cpolim iterum a Francis captam esse audiamus „a .VII. jorz d'avril par un mardi, en l'an de l'incarnation de Nostre Seignor .MCCI.“ XXVIII. 18 p. 273. Haec sive censor sive librarius interposuit, oblitus est auctorem paullo ante verum expugnationis diem secundam post passionam Domini feriam, ut aequales loqui

---

[1]) Idem p. d. „Distat, ait, Salonichum a Cpolis urbe dietis quinque,“ cui errori proclivi non solum rei ratio obstat, sed etiam omnium codicum dissensio (XXIX. 2 p. 277 Z. p. 491 „XV. journées“): comparari potest Robert. a Clariaco s. 99 ms. Havn. fol. 125 v. „Salenike une tere qui estoit bien .XV. jornées de Constantinoble.“ Multo magis codices differunt, ubi alii leucas alii milia passuum in spatiis aestimandis usurpant.

solent, (prid. idus Apr. a. CIƆCCIV) significare. Eidem interpolatori reddenda est diligentia, qua classis ad Cpolim adventum die Saturni factum, si credimus codicibus CDG (g teste Bet. ung samedy) a Z desertis, tanquam accuratissime definire studuit (XXVIII. 15 p. 266) „a .XV. jors de mars,“ quamvis mense Martio classem nondum e portu Jadertino evectam exeunte mense Junio ad Cpolim applicasse constet (VI. Kal. Jul. Robert. Altissiod. in Coll. hist. Gall. t. XVIII. p. 267; in [leg. VI.] Kal. Jul. „devastat. Cpolit.“ p. 10; God. de Vill. Hard. p. 59: la veille de monseigneur Saint-Jehan-Babtiste en juing Cpolim primo visam esse ait).

Nemini alii adtribuere possumus ad verba codicis Z. p. 487 (XXVIII. 15 p. 268 ed. acad.): „quant il furent armé, si issirent hors de le chité, par une porte que on appele Porte Romaine, à une liue (mille DG) près de la où li Latin estoient herbegié. (C omittit quae sequuntur usque ad enuntiationem proximam a „quant“ adverbio incipientem.) Quant li empererres fu hors (fors DG) de Constentinoble, et il et ses gens, si envoia dusques à cinq batailles vers les herbeges (herberges DG g teste Bet. batailles B et A) des Franchois (Latins DGAB)“ additum enuntiatum hoc: „Por ce les nome je Latins que en la terre apele l'en les Frans Latins.“

Simili additamento recentissimi editores perducti miram personam cuidam induerunt, de quo auctor codicis Z (p. 484): „Il avoit, inquit, aveuc ches Flamens un chevalier qui parens estoit l'empereur Bauduin.“ B et A ad huius nomen adiungunt „avoit nom“: iam illi interpungunt „parens estoit l'empereur: Baudoins avoit nom“ adscitoque superiore loco, ubi „Flamens“ in „Amiens“ corruptum est, exoritur Balduinus Ambianus, Isaacii imperatoris Cypri filia in matrimonium ducta insulam tanquam uxoris hereditatem vindicare ausus. (XXVIII. 5 p. 256.)

Sed longe gravior quaeque magis etiam iudicium nostrum confirmet res obvenit in explananda Petri imperatoris captivitate et morte. Etenim in Z (p. 499), quocum, ut assolent, faciunt CDG

(XXIX. 14 p. 290 sqq.) ac Pipinus (chron. col. 622), post haec quae servant etiam B et A: „Quant il furent à Duras et li sires sot que che estoit chi empererres, si ala encontre lui, et fist grant joie de lui; et si le rechut moult hautement et moult honnerablement come seigneur et li fist homage et li rendi sa tere..... Quant li empererres ot iluec une pieche sejourné, se li dist li sires de Duras: „„Sire, vous irés en „„Constentinoble par tere, et je irai aveucques vous, tant come „„me tere duerra. Puisque on sara par Gresse que je vous „„arai rendue me tere et que je ere aveuc vous, il n'en y ara „„nul qui encontre vous soit, ains vous renderont le tere et „„venront à vous à merchi."" Li empererres le créi. Si murent et alerent par tere" — sermo est de Petri uxore gravida et per mare vecta (v. loc. supra allat.), tum auctor redit ad Dyrrachii dominum, qui imperatorem comitatus est, his verbis: „Or vous dirai que li sires de Duras fist, qui l'empereur conduisoit parmi se tere. Il n'orent pas eslongié Duras plus de trois journées, quant il se herbegerent en un castel moult fort. Quant il furent herbegié et il furent assis au souper le nuit, li sires de Duras fist armer ses homes, et fist prendre l'empereur et ses homes. Et assés en ochist on et assés en mist on en prison. Et tant les tint on que li empererres y fu mors et il et li quens de Sanseure." Cf. CDG Pipin. l. a.[1])

B et A ab initio capitis 15 (p. 291) omnino permutatam rerum speciem exhibent: „Or vos dirai coment il avint a l'empereor Pierre. Il se parti de Duras o tuot son ost, et chevaucherent .V. iornees ou .VI. ensi que Todre le Commanos o tot grant ost le sivoit et se herbergeit chascun jor près d'eaus a. .II. liues ou a trois." Jam scribitur Theodorus Comnenus ad flumen quoddam castris positis pactum cum Petro iniisse huncque ad coenam invitatum in vincula conie-

[1]) His adiungi potest Balduini Avennensis liber qui (cf. ex cod. ms. St. Germ. 84 excerpta a Buchon. l. a. p. 506) cum universa hac argumenti explicatione consentit, novit autem nomen „Todres li Comnines."

cisse. Continuatur haec expositio accurata et ob fidem historicam haud aspernanda per tria capita, tum reducimur ad narrationis integrae seriem. Integrae quam dico multis quidem nominibus altera praestat quam ex B et A libris editam videmus,[1]) sed genuinam hanc nemo habere audebit atque ab initii auctore profectam. Is enim profecto proditoris illius nomen ignorabat, recentior nescio quis in alio quem statim decerpsit libro repperit nec tamen ubi debebat immiscuit illa qua interpolatoris manus plerumque recognoscitur neglegentia a probabiliore loci constructione prohibitus.

Quibus quum prorsus id, quod de Z codicis habitu dixi, confirmetur, elucet CDG multo facilius cum eo ad consensum redire, quam A et B, hos autem ob singularia, quae passi sint, a genuino omnium fonte longius remotos videri quam libros multo recentiores. Jamiam satis, opinor, viam assecuti sumus munitam firmatamque rationem, qua ad reliqua quoque quamvis codicis Z auxilio destituti accedere possimus ac iudicare de aequalitate et differentia quinque illorum librorum, quibus sextum adnumerare licet eum, cuius Franciscus Pipinus superstes ad nos pervenit si non interpres religiosus, at diligens certe usque ad exitum sectator: his igitur sex codicibus quae cum archetypo intercedat condicio quaerere non hariolantium et quae meram probabilitatis prae se ferant speciem congerentium in modum, verum ita, ut argumenta, quae nostrae caussae neque ipsa codicum Z et X editione neque a quopiam homine sagaci subtractum iri confidamus, quam evidentissima conlegamus et tanquam aperta tam originis quam propagationis specimina nostram in rem convertamus.

At ne quis critices aestheticae a relatione tam simplici minimeque artificiosa defendendae et cui nullum equidem hac

---

[1]) Pleniorem habemus nullam: simillimam in Alphonsi libro (la gran conquista de Oltra mar) c. 255 fol. 190 reperiri Hopfius benignissime mecum communicavit. Non absona ab eius tenore sunt ea quae ex Vincentii Bellovacensis spec. hist. XXX. 78. Jordanus exscripsit (cf. Rainald. ann. eccles. ad a. 1217 §. 11.) Jordano usus est Andreas Dandulus (X. 4, 28 ap. Murat. XII. col. 340).

in commentatione locum concesserim, usum me admissurum esse autumet, narrationis qualis ex partibus discrepantias omnino nullas aut levissimas tantummodo ostendentibus forma et compositio eruatur, prius considerabimus quam ut alienam ab illa auctorisque consilio qualemcumqua particulam condemnare studeamus.

Huc pertinent plurima, quae inde a l. XXIII. c. 4 p. 6 usque ad l. XXIV. c. 15 p. 125 leguntur. Segreganda enim sunt levia tantummodo D[1]) et G[2]) codicum discrimina, C[3]) et D[4]) additamenta, loci cuiusdam in C defectus,[5]) de quibus data occasione sermo erit: praeterea animadvertimus B et A aliquotiens cum D consentire, rarissime tamen caeteros omnes derelinquere. Id quod factum est (ut unum proferam exemplum speciosa illa et rerum et locorum cognitione insignius) l. XXIII. c. 46 p. 68. Etenim B et A, postquam et exercitus ad Tiberiadem obsidione liberandam contra Salahadinum profecti iter[6]) pluribus nominibus consignaverunt (c. 40 p. 62 sqq.)[7]) pugnaque illa infelici Marte commissa Balianum Neapolitanum Tyrum cum aliis confugisse tradiderunt (c. 42 p. 65), subito eumdem ex proelio fingunt ad fontem Sephoritanum rediisse, inde per Legionem[8]) Neapolim pervenisse, ubi uxorem a se

---

[1]) Huc referenda in primis sunt l. XXIII. c. 40—50, XXIV. 12—15.

[2]) Vid. XXIII. 13, 14, 22 (ubi consentit Pipin. hist. acq. t. s. c. 150) 23 (39).

[3]) XXIII. 55 p. 82 not. crit. cf. p. 490—507: de quo loco quid statuendum sit postea apparebit.

[4]) Velut XXIII. 54, XXIV. 2—4, 6.

[5]) XXIII. 39. Utrum re vera defectus sit annon, infra videbimus.

[6]) Factum est illud iter per regiones a. 1229 Christianis redditas, in quibus maxime dominum Sidonium postea praedia ac villas possedisse elucet ex dipl. a. 1254, quod publicavit Paoli (codice dipl. del sacro milit. ord. Gerosol. Lucca. 1733. fol.) I. p. 141 sqq.

[7]) P. 63 ubi in B et A Carnehatin significatur, haec leguntur: „En celui somet de cele montaigne, ou li rois Guiz fu pris, fist Salahadin faire une mahomerie, qui e n c o r e s y apert en loenge et en remembrance de sa victoire."

[8]) Legionem [nunc „Leijûn" vid. C. Ritter. Allg. Erdk. XVI. p. 593, 699; cf. „Legionum" Recueil des hist. des crois. I. Paris. 1844. fol. p. 1137 „per latissimum campum, qui est inter montem Tabor et Legionem, dispersi sunt;"

repertum iri speraret.[1]) Itaque quod CDG (quibuscum facit Pipinus c. 157) eum pacto a Salahadino commeatum impetravisse confirmant, de consulto in B et A videtur reticeri. Nihilo tamen secius in his infra (c. 54 p. 81), ubi Balianus patriarchae auctoritate absolutus omniumque incolarum precibus commotus, ut Hierosolyma defenderet, hostibus urbem oppugnatione prementibus familiam Tripolim emittere studet, a Salahadino fidem accipere ideoque perfidiae convicium a se defendere conatur, quippe qui pacti condicionem neglegere coactus sit (le covenant, que il li ot, quant il dona congé d'aler en Jerusalem, il ne li poeit tenir. Quar il estoit si pres gardez en Jerusalem que il ne s'en poeit issir). Talia ac similia interpolatoris opera eum solum fallent, qui videre omnino noluerit, neque hoc nos loco morabuntur. Sunt enim, quamvis singulari pleraque peritia blandiantur, eius modi, ut reliquorum librorum, quos minus censores aut librarii depravarint, fundamento superstructa esse tam facile perspiciamus, quam in eo de quo iam dictum est loco (l. XXIX. c. 15—17). Hunc solum excipimus e narrationis serie inde a. l. XXVII. c. 11 p. 238 ad l. XXX. c. 12 p. 305 nullo alio longiore additamento intercepta. Haec igitur duo spatia minus quam reliqua mutationibus vel interpolationibus inquinata si conlustramus, ante omnia concedamus oportet fide historica prius medio longe praestare, posterius hoc saltem superare. Externa quodammodo documenta habemus accuratas dierum memoratu dignorum notas, quas in parte multifariam

---

Radulph. Coggeshal. in vet. script. ampl. coll. V. col. 561. „Eustachius vicecomes Legionis" subscribit dipl. a. 1187 (Dal Borgo, Raccolta di scelti diplomi Pisani. Pisa. 1765. 4. p. 99—101)] a. 1229 Christianis restitutam esse, illud quidem pacis exemplum (Rayn. ann. eccl. a. 1229 §. 15, Pertz, Monum. Germ. hist. leg. II. p. 260. Huill.-Bréh. l. a. III. p. 86 sqq. alibi) non probat, sed satis testatur Haitho (cf. Petermann, Beiträge zu der Geschichte der Kreuzzüge aus armen. Quellen, in comment. acad. Berol. 1860. 4. p. 163).

[1]) „Quant Balian d'Ybelin se fu partis de la bataille, si s'en retorna par Saforie et s'en passa par le Lion et ala droit a Naples, ou il avoit laissée la roine Marie, sa feme."

corrupta deprehendimus. Illius autem aetatis auctorum gallicorum quos equidem novi omnium mos est non quo mense quotoque eius die (nisi singularem ob caussam memoriae infigitur) aliquid factum sit, sed qua hebdomadis quam dicunt aequales feria quoque die e Christianorum cultu festo ac sollemni memorare. Itaque ubi illam in hac corporis transmarini particula in quopiam codice tentatam definitionem deprehendimus, infelicem plerumque eventum tali conatui accidisse sentimus. Unum alterumve iam supra castigavimus exemplum: sunt tamen plura, quae simul etiam annos determinatos propemodum omnes ab auctoris instituto abiudicandos esse affatim arguant. Sed de hac re minuta alias dicendum erit: graviorem enim iam fatemur ad externum illum defectum internum accedere. Quippe rerum relatio magis arida illo in loco est ac saepissime e plenioribus fontibus corrigenda: cuius rei et ipsa editio academica extat testis, dum priore in parte auctorem accuratiorem accuratis, quae hostium studiis prodierunt ac supersunt, documentis esse confirmat Wilkenius, quem historicis Arabicis iusto minus favisse nemo contendet. Qui vir doctissimus si posteriorem illam partem sicut plures alii minoris quam priorem aestimabat, nimiam fidem et auctoritatem Godefredo de Villa Harduini adiunxit. In quibus id inesse nolo, ut hunc diligentia nostrum scriptorem longe superare negem. Qua de ratione alias disputabo: nunc enim utriusque formam et narrationum genus contemplari licet. In hac autem re Godefredus quamvis aliquot annis superior, ad maiorem nostro perfectionis gradum pervenisse dicendus est. Relationis cursus bene compositus et ordine proviso instructus est: rerum nexus dilucide ubique servatur. Attamen vix infitias ibis singulorum seriem aliam esse potuisse, qualem apud Robertum de Clariaco illius aequalem reperimus. Qui scriptor quum minus insigni in loco positus esset rerumque decursum impari animi indole consideraret, ex caussis plerumque externis quaeque se simpliciori iudicio praebebant argumentum petit aliaque aliis quasi assuit

longius saepe digressus. Huic noster consimilis est: sprevit quidem annalium formam rerumque originem et proventum indagare studet, solutiores tamen excursus facit et facile sibi ad nova transitum parat. Quoniam partes nullo vinculo interno connectuntur, sine ulla molestia quaedam a reliquis separari possunt. Non difficilius in hoc scribendi genere quodammodo inculto neque epicis carminibus dissimili non nulla adduntur vel inseruntur: ne repetita quidem paucis, quae plenius antea narrata sunt, quemquam morabuntur. Quae quidem si inter se conspirant, non est, cur unius eiusdemque scriptoris esse negemus: contra si dissentiunt, gravissima existit suspicionis ansa. At Vincentium Bellovacensem, illustrissimum illius saeculi scriptorem, nonne etiam diversa sibique aperte contraria admisisse videmus? Scilicet is collector fuit et quae augendo operi inservire posse cernebat arripiebat et transcribenda curabat:[1]) nos autem auctorem quaerimus, non farraginis illius, quam quidam codices exhibent, compositorem. Et ab hoc auctore profecti — si quid video — illi quidem loci sunt, in quibus ad superiora reditur et pauca ad supplendum vel continuandum adduntur, sed hi abiudicandi certissime omnes, qui iamiam relata non explicant, sed prorsus offendunt ac pervertunt.

Quis enim longam illam quae in D[2]) reperitur de Armeniae et Antiochiae principibus ac de Assasinis (p. 207—210, 212 sq. cf. p. 228—231 ed acad.) digressionem utramque[3]) ab

[1]) Librariorum rerum haud peritorum ope speculum illud historiale compilatum esse, ipse Vincentius I. 3 confitetur. (Cf. Schlosser, Vincent von Beauvais Hand- und Lehrbuch für königl. Prinzen. Frankfurt a. M. 1819. 8. II. p. 200.)

[2]) Quae D suppeditat in plerisque cod. d (Mas-Latrie III. p. 590 sqq.) consimilia vel potius paria, recentissimus rerum Cypriarum auctor adhibuit in historiae futurae specimine (Fragments d'histoire de Chypre. Paris. 1845. 8.) neque nuper Heyd l. a. sprevit.

[3]) Digressionis quam solus (praeter d) cod. D praebet, pretium haud parvi aestimabis, si cum eis contuleris, quae ex Armeniae historicis edidit Henr. Petermann l. a., qui vir doctissimus, si illum librum inspexisset, certius ac sine ulla dubitatione multis de nominibus iudicare potuisset. Talibus enim et ipsis minus adhuc notis excellit D, id quod uno saltem exemplo docebitur.

uno eodemque auctore conscriptam esse crediderit? Quis non totum locum annalium forma compositum ac peregrinum quoddam quodque soli latino sermoni conveniat olentem e gallici cuiusvis scriptoris contextu eximere maluerit? Quis denique non agnoverit in ipsis peritiae documentis imperitiae non minus quam neglegentiae signa inesse nullo omnino modo infitianda vel excusanda? Quid? quod comparanda — ut ad finem perveniamus — haec propono:

D p. 216 ed. ac.	Oliver. hist. reg. t. s. c. 1394 sq.
„En cele muete fu le legat de l'Yglise de Rome, Conrat l'arcevesque de Mayence, et le chancelier Conrat dou palais empereal, Henri le conte paladin, Henri le duc de Breibant, et de mains autres asses, dont longue chose sereita dire les noms de chascun por sei. Ensi com ils ariverent en Accre, il firent de Henri de P.[1]) calendin mareschau de tout l'ost, et le duc de Breibant maistre iustisier, por ce que l'on diseit qu'il esteit preudome et chastes et bons iustisiers."	...... „praecipui fuerunt regni Teutonici barones Conradus Moguntiae sedis Archi-Episcopus et sanctae ecclesiae Romanae cardinalis, Conradus imperialis aulae cancellarius, Hinricus Comes Palatinus, Hinricus Dux Brabantiae et plures alii, qui congregati apud Accon Marescalcum fecerunt Hinricum de Caladin iustitiarium optimum, Ducem autem Brabantiae, virum strenuum, modestum et castum Capitaneum elegerunt."

Cum Oliver. cf. Heinr. duc. Brab. ad archiepiscop. Colon. in chron. S. Pantal. (Godefr. mon.) p. 362 ed. Struv. vid. etiam Arnold. Lubec. IV. 5 p. 710 ed. Leibnit.

Quae quidem vinculo inter se cognata casui nescio cui tribueris, cognata tamen esse vix negaveris idque ita, ut gallici loci compositori humani aliquid accidisse videatur. Atqui non meum est arbitrium, quo clarum illum episcopum Paderbornensem cum obscuro isto interpolatore componendum censui: ne fortuita quidem remanebunt inopinata. Si enim ea, quae singularia de expeditionibus ab a. CIƆCXCI usque ad a. CIƆCIIC factis codex D habet, aspicimus, coacta omnia esse facile

[1]) Latetne Pappenheim? Vid. Schultes direct. dipl. f. Obersachsen. Rudolstadt. 1821. 4. II. p. 354.

liquet ex eis, quae in C et G reperies, et ex relatione Olivero haud sane ignota. Quamquam neque additamenta quaedam nec vitia superioris similia desunt, attentum lectorem illa familiaritas fugere vix potest. Velut si Richardum regem cum Burgundiae duce Hierosolyma profectum comitamur, illius iter D monstrat modo ut C et G modo ut Oliverus. Quae e gallica illa historia provenerint, sine molestia ex editione nuperrima eruantur, quae cum Olivero communia apparent, nunc persequamur, quippe quae interpolatoris ingenium quadamtenus in luce ponant. Itaque Oliverus (c. 62 col. 1393) „quum procederet“ inquit „multitudo Turcorum maxima congregata, nostros ab omni parte iugiter infestabat. A Gallico p. 182 (D var.) Salahadinus dicitur insecutus esse „par derieres, a destre et assenestre,“ quasi fieri potuisset, ut a dextra parte maris litus presse secutos ille aggrederetur. Tum

Oliverus:	D. l. a.
„Sed post transitum fluminis districti cum posteriores acies nimis acriter urgerent inimici, Rex Draconem, quo pro vexillo utebatur, explicari iussit, ordinans legiones iuxta Casale bubalorum impetum faciens in hostiles acies pugna commissa Saladini robur defecit.“	„Ensi com il orent passé le flum, et l'arieregarde fu durement chargée des Sarasins, le rei comanda a despleier son oriflambe et ordona ses eschieles et ses batailles pres dou casal, que l'on nome de Bufles.“

In quibus quod flumen Districti ab Olivero appellatur, ad ipsum (cf. hist. Damiat. c. 3 col. 1399) redeat. Similia etiam in sequentibus nos offendunt, eo tamen rarius ad comparationem apta, quo magis arida illius evadit oratio: supra autem eiusdem cognationis exemplum haud minus manifestum deprehendimus in expugnationis Cypri insulae delineatione, quae non conspirat cum B et A nisi in initio (cf. D. p. 163 sqq. et Oliver. c. 61 col. 1392).

Sed haec neutiquam ad rem pertinere existimabuntur, quippe quum illi, adversus quos videntur congesta, et ipsi D librum interpolatoris manu novata praebere verbis non dubiis

demonstraverint,[1]) quem censorem medio saeculo XIII° in Cypro degisse ac nobilem quendam tam transmarinarum quam Cypriarum rerum peritum fuisse volunt.[2]) Nimirum quod de codice D omnes concedimus, idem non minus apertum B et A sine ulla praeiudicata opinione intuentibus videbitur et iste quidem in indaganda interpolationum ratione optime praeibit. In eo enim quae occurrunt additamentorum pars unde hausta est, ex eodem fonte profluxerunt loci quidam, in quibus B et A cum D faciunt, differunt a C et G: expeditionis a Friderico I. susceptae explanatio altera, inceptae expugnationis Cypri descriptio, fere tota (ni fallor) obsidionis Ptolemaidis expositio. Oliverus quidem in his quoque brevissimus est: nihilo tamen secius cognationis vestigia poteris persequi. Antequam autem horum auctorem investigare conamur, demonstrare iuvabit, quam ob caussam illa explanatio, quam de Friderico Graecorum imperium Turcarumque regnum ingresso ABD discedentem a C et G praestant, genuinum scriptoris, de quo quaerimus, gallici opus esse omnino non possit.

Cernimus igitur unam in eisdem libris rem aliter aliis locis enarratam, non ita quidem, ut prius adumbrata postea plenius explicentur, sed ut absoluta quaedam resolvantur ac tantum non evertantur.[3]) Referunt enim B et A (l. XXIV. c. 8, 9 p. 115—117) paribus atque C et G verbis, Fridericum in terrae sanctae auxilium cum quinquaginta milibus equitum profectum Constantinopolim pervenisse, tum Hellespontum transgressum a Graecorum imperatore atque ab sultano Iconiensi huic quasi subiecto tam commeatum quam fidem accepisse: sed exercitu rapere auso victum paullatim cum ipsis paganis

---

[1]) Praef. p. VII. „D offre des variantes très-curieuses pour cette partie de l'histoire de la Terre sainte, comprise entre les années 1183—1197".

[2]) Comparari iubent (l. a.), quae p. 202 de Pisanorum ac Genuensium potentia leguntur.

[3]) Consultior quicumque priorem descriptionem missam fecit et ad sequentia ablegavit (cf. D var. p. 116: „si com vos troveres la en avant").

defuisse tandemque post trium demum hebdomadum molestissimum spatium Armeniae fines apparuisse: ubi imperator quum lavandi caussa fluvium quendam intrasset, undis esset submersus. Paullo infra (XXIV. 21 p. 131) relicta iam antea (c. 16 p. 126) codicum C et G[1]) lectione, presse contra D vestigia secuti, illi offerunt Fridericum, quem emortuum satis percepimus, expeditionem suscepturum verbis, quibus Oliveri (c. 759 col. 1390) relationem adscribere iuvat, utpote ad compositionem fortasse idoneam:

„Dedens ce que li sieges esteit devant Acre, Fedric li granz empereres fist son apareil de venir par terre et amena avec lui moult de chevaliers d'Alemaigne, et grant avoir aporta et granz richeces, si come il aferoit a la corone emperial. Il passa par Hongrie en Romanie. Li empereres de Costantinople se efforca moult durement que li devant dit empereres ne passast par sa terre.“

„Fretherícus Imperator magnificum prout imperialem decebat coronam trahens secum apparatum et bellorum copiam, per Ungariam profectus venit Graeciam, sed Manuel[2]) Imperator Constantinopolitanus transitum ipsius per terram suam impedire conabatur.“

Jam uterque Hermannum episcopum Monasteriensem aliosque legatos a Graecis captos esse refert traditque pluribus alter alter paucis, quaenam acciderint, antequam pax restituta est. Tum pergunt:

„Puis dona li empereres de Costantinople le passage par Negrepont[3]) a ceaux qui vostrent aler par mer, et a ceaux qui vostrent aler par terre, dona il grant avoir et fist grant aide et secors por venir secorre la terre de Jerusalem.“

„Et Manuel per Ellespontum peregrinis copiosum navium“ [aut „numerum“ add. aut „navigium“ scrib.] „praebuit, alia praeterea commoda, ne terrae sanctae differretur subsidium.“

---

[1]) Ad hos reliqui appropinquant XXV. 5 p. 143 post verba mihi quidem graviorem moventia suspicionem: „Ores retornerons a nostre matiere et vos dironz dou roi de France et dou roi d'Angleterre.“

[2]) Manuelis quod infra bis redit nomen solius ni fallor Oliveri neglegentiae debemus.

[3]) Non librarii cuiusdam levitate aut imperitia Hellesponti vocabulum corruptum esse, sed vitium a compositore profectum reliqua satis ostendunt.

Jam (c. 22 p. 132 sq. Oliver. c. 60) audimus Turcarum magnam copiam Friderico, quem arceret, obviam factam esse, hunc tamen itineri per invia se commisisse hostibusque inopinantibus ad campestria pervenisse. Exercitus labores Oliverus quamvis magis correpta oratione, haud tamen alia atque gallicus ille pingit, ita ut in his quidem unum utrique fontem adfuisse, quaeque alterutri singularia sint, ipsius ingenio tantum non omnia adtribuenda esse facile concesseris. Itaque comparare haec iuvabit:

... „il se adreca por aler vers le Coyne..... Il trova unes aigues et uns panteins que nul home ne a pié ne a cheval n'i poeit passer. L'empereor comanda que l'on getast, por faire chemin, escuz et hauberz..."	„Profecti sunt igitur Christiani versus Iconium per loca palustria, quae violentia nimbi molliverat, adeoque de loricis et scutis viam sternere plerique compellabantur."

Turcis ad pugnandum egressis copiae comparantur et ordinantur:

... „le duc de Soave, qui se nomeit Fedric, fist l'ariere garde, qui moult estoit religios hom et honeste, et de bon renom. Li empereres ses peres fist l'avant garde." [1]	„At Dux Sueviae Fretherieus adolescens spectabilis et strenuus priores acies praecedebat interpidus. Pater autem ipsius posteriorem custodiam tuebetur."

In sequentibus nescio an Oliverus, quae gallicus de illius popularibus prodit, de consulto suppresserit: lubentius tamen crediderim haec alterius esse additamenta.[2] Namque et ipse nostrates „nos gens" vocat[3]) auctorem illis minus infestum

[1]) Gallum falsum esse omnes concedent (cf. Wilken. hist. bell. sacr. IV. 1 p. 111 et 127).

[2]) Simillime, quamvis brevioribus, nostratium mores pinguntur in altera narratione (XXIV. 9 p. 117, ubi G: „L'Alemant, quant il furent entrés en la terre de Turquie et de Coine, comencerent a tolir la viande as paisans qui lor aportoient", de quibus vid. Wilken. IV. 1 p. 109 adn. 113). Haec fortasse interpolatori obversabantur, quum scripsit: „Il comencerent a faire lor otrages ensi come il sont usé as Sarrazins de Turquie, por ce que il avoient esté au dessus de lor fait. Il toloient les viandes et les chevaucheures, et les autres choses que il trovoient a marché, sanz riens paer...." c. 24 p. 135.

[3]) C. 23 p. 134. Quae statim (c. 24 ineunt.) insequuntur illa: „Or orres que li Aleman faisoient en Turquie....." Oliverus (c. 59 col. 1390) de „peregrinis"

haud dubie secutus et mihi quidem etiam ea, quae de Turcis exhibet, de suo ut alia consimilia adiunxisse videtur. Utcunque hac de re iudicare voles, illi ambo conspirare nondum desinunt: imo alterius alterum propemodum adaequant verba hoc in loco (c. 24 p. 135 sq. Oliv. col. 1391):

„Quant li empereres vit que li Sarrasin multiplioient et creissoient chascun jor, li empereres fist ordener ses escheles, come sages et vigoros. Il faisoit l'ariere garde, et son fil l'avant garde, et ententivement gardeit ses gens. Moult de fois venoient li Sarrasin devant la gent del empereor et les requeroient de jouste; mais li empereres deffendeit as suens, que ja fust ce que il eussent talant d'assembler, que nul ne jotast a eauz. Par tel discipline les guieit li empereres, ausi les genz a pié come les gens a cheval; si que il n'en avoient repos ne de nuit ne de jor."

„Cumque Turci multiplicarentur, continuum periculum Christianis imminebat. Unde per vias quibus gradiebantur, imperator sicut vir prudens et strenuus ordinatis aciebus incedebat, custodiens suos nec permittens eos, licet multum provocatos, hostibus incaute occurrere. Tali disciplina equites et pedites processerunt, per dies multos requiem non habentes, nisi noctibus, quibus per sollicitudinem excubiarum recreati quieverunt aliquantulum."

Non minus ille de episcopo Wirzeburgensi locus (c. 25 p. 136) dignus est qui comparetur:

„En celui ost avoit un prodome, qui estoit evesque de Huerceborc, qui ert de bone vie et sages hom. Moult estoit sages hom et bien letrez, et bien parlanz. Il estoit chancelier de l'empereor et portoit son scel. Icestui prodom conforteit sovent les Crestienz par sa sainte predication, et par les bonz amonestemens, et les confortoit es mesaaises que il soffroient, et lor disoit que ce estoit por Deu et en remission de lor pechez."

„Erat in hoc exercitu vir litteratus et facundus, cum aliis ecclesiarum praelatis, Sigelogus [1]) Herbipolensis Episcopus, qui exhortationibus et consolationibus castra Domini confortabat, asperitatem viarum et hostium instantiam salubriter ostendens pro Christo fore tolerandam."

---

locutus, (c. 60 ib.) „nostri" inquit „civitatem egressi castra metati sunt in suburbanis Iconii" atque „quo minus periculum.... nostra gens evaderet."

[1]) Hoc nomen non dubito quin ab Olivero profectum sit.

Durissima passus Armeniam postremo exercitus intrat.[1]) Ab hoc inde puncto gallicus scriptor Oliverum relinquit et praestat ad compensandum quodcumque peccavit perquam sane accommodata.[2]) Haec igitur mittamus et ad alia convertamur, in quibus cognationis illius vestigia reperiri posse videantur.

Ac primum quidem quae de Cypro a Richardo Angliae rege expugnata exhibent B et A, ut unius omnia opus esse concedam, tantum abest, ut trium certe virorum manus satis liquido discerni contendam: quarum primam fere integram ni fallor habemus in C et G (p. 163 sqq.); alterius[3]) vestigia ab initio in B et A cernuntur (XXV. c. 17—21 p. 159 sqq.), postea evanescunt: clarius contra in D (p. 159—167) elucent; tertia denique illi soli aucti sunt (inde a c. 21). Ne iusto longior hac in re esse videar, comparari iubeo Oliverum, cuius narratio (c. 61 col. 1392) cum C et G nihil commune habet, cum B et A non nulla, cum D tantum non omnia. Ceterum totam caussam, ad quem magis attinet, rerum Cypriarum futuro scriptori (eius enim iudicium magni facere licet) servandam esse censeo.[4])

---

[1]) Factum id esse constat mense Junio. „En tens d'esté" ait Gallus (c. 26 p. 137) „quant li solaus est plus chauz," Oliverus: „Tempus erat aestivum." Quae idem addit — „quo sole tenente Leonem

Julius ardebat," —

e carmine potius repetita quam ex fonte historico hausta crediderim.

[2]) Huc imprimis pertinet, quae de Friderici morte exhibetur, nova relatio: in qua adhuc ignoti Armeniorum legati in scenam prodeunt „Costanz et li autres Bauduins de Camardais." Alter princeps ille Constans (v. Petermann l. a. p. 158 adn.) videtur esse, alter nescio an lateat in „Chumardiasch," quem Haitho suppeditat (p. 157). „Henri de Camardais" occurrit in dipl. a. 1241 ap. Paoli l. a. p. 133.

[3]) Redeunt etiam hic similes atque de nostratibus et de Turcis supra repeCriuntur sententiae generales: velut de Graecis DBA XXV. 21, 163 „li Grifon tienent les Frans a ereges, et cuident moult faire a plaisir a Deu de tuer un Latin." De Italis idem ni fallor interpolator exponit XXIII. 34 p. 50.

[4]) Ante hos quidem novem annos metuo ne Mas-Latrie B et A relatione sane pretiosissima deceptus sit. (Cf. l. a. II. p. 19.)

Etenim in Ptolemaidis obsidione describenda (XXV. 26 p. 168 — XXV. 1 p. 175) gallico censori, licet de suo plura addiderit, Oliveri fontem ante oculos fuisse, facile potest doceri uno loco (XXV. 27 p. 169 Oliv. c. 1392).

„Dedens ce que il arriva devant la cité d'Acre, Salahadin, faisoit venir une grant nef d'Egypte que l'en diseit que ce estoit un dromont, la quele esteit moult bien garnie de gent et d'armes et de fue greseis et moult grant plenté de viandes por confortor des Sarrasins, et anuier les Crestiens. Il avoit dedens serpens vives a grant plenté, por faire entosche et por laisser aler par l'ost des Crestienz."

„Inter eundem vero navim magnam de Babilonia venientem, quam Dromonem appellant, expugnavit vehementer, quae Accon ingressum fuit ad sollatium obsessorum, repleta bellatoribus et armis et victualibus et igne graeco et serpentibus vivis ad toxicum conficiendum."

Plures eiusmodi locos composui, quo de cognationis, quae inter gallicos libros et latinum Oliveri textum existit, ratione certius iudicaretur et disputatione longius producenda equidem supersederem. Communem enim utrique parti adfuisse fontem, nunc pluribus demonstrare vix opus est. Sed qualem librum Oliverus, quum historiam regum terrae sanctae scripsit, adhibuit?[1]) Latinum fortasse librum, qualem gallicum Arnoldi esse novimus: scilicet cuius prior particula nihil fere aliud nisi ex Guilelmi Tyrii historia transmarina decerpta quaedam epitome,

[1]) Comparare iuvat, quae de Oliveri fonte duo viri praestantissimi protulerunt:

Wilken. comment. de bell. cruc. ex Abulf. hist. p. 14:
„Sunt fere omnia ex Guilelmo Tyrio excerpta; ubi ille desinit, brevis et sterilis fit.......... Ad emendandum textum Guilelmi Tyrii nonnumqum adhiberi potest."

Sybel., prim. sacr. exped. histor. p. 150.
„Im Lager vor Damiette, dort im Morgenlande, wo vor wenig Jahren Wilhelm geschrieben und gewirkt, dachte Oliver nicht an die Benutzung seiner Schrift und kürzte nur Fulchers Erzählung, vielleicht mit einigen Einschiebseln aus den Gesten, für seine Zwecke ab."

Is qui singulatim longiora de episcopo illo prodidit, G. Junkmann. (in diar. cath. Monast. 1851), hanc quaestionem non curavit.

posterior eorum quae post illius exitum acciderunt delineatio ab homine aequali neque rerum imperito composita esse videatur.

Neque tamen, si quid video, ille scriptor latinus ultra a. CIↃCIIC progressus est: id quod et Oliveri habitum et interpolatoris vestigia satis ostendere existimo.

Sed extant in superioribus etiam plures loci, in quibus D cum B et A facit, adhuc neglecti. Velut inde a l. XXIII. c. 30 (p. 47 sqq.) talem illorum a C et G discrepantiam deprehendimus, quam et ipsi, de quo diximus, interpolatori deberi concedes, si eam non minus quam illa, quae adtuli, latinam linguam redolere senseris. Haud aliter de levioribus quibusdam discriminibus iudico, quae recensere longum est. Aliunde vel ab eodem vel a librario quopiam hausta sunt, quae XXV. 5 p. 143 in DBA de regia Anglorum familia leguntur, aperte quidem eis, quae in C et G servantur, superstructa.[1])

Sed iam transgrediamur oportet ad eos locos, quos diversos a reliquis tum D (et d) tum B et A exhibent. Atque de illis quidem nunc quaerere haud vacat,[2]) de his pauca addamus, quoniam non solum universam quam defendendam suscepi caussam magnopere confirmare, verum etiam eis, quae supra de posteriore huius speciosae recensionis parte suspicatus sum, plus fortasse adminiculi comparare licet. Ad transmarinarum enim familiarum res additamenta B et A codicibus singularia redeunt fere omnia nec raro haec ipsa et illa pars invicem ad se respiciunt. Velut eorum, quae de Amalrici et Henrici liberis traduntur (XXVI. 21. p. 208),[3]) ratio habetur l. XXX. 15

[1]) Comparanda sunt, quae de eadem familia Albericus se ex „historia regum“ (de qua vid. Wilmans, Archiv. t. X. p. 208) sumpsisse fatetur II. p. 158. ed. Leibnit.

[2]) In pluribus apertam cum Rigordo reperimus cognationem.

[3]) Hunc locum elegi, ut qui magis illustrari possit eis, quae Mas-Latrie II. p. 9 sq. et 34 suppeditat, et interpolatoris indolem aperiat. C enim et G, quos cum Bernardo thesaurario consentire diserto ille testimonio affirmat, de nuptiis futuris locuti eam pacti condicionem fuisse referunt, ut Almerici filius natu maximus duceret Henrici filiam maximam reliquique deinceps (C „que l'ainnez dut

p. 307. Sed cuiusnam familiae in commodum haec recensio comparata videtur? Ad Sidonios dominos referre eam ausus sum praeter alios locos his maxime respectis, in quibus de bonis a Salahadino restitutis ac de arcium defensione a Rainaldo suscepta agitur. In altero enim (XXVI. 17 p. 199), quod in C et G (vid. var. lect.) de omnibus principibus transmarinis dicitur, proprio modo ad Rainaldum transfertur, alter ratione adeo non apta intercalatur (c. 9 p. 189), ut iam adversarii de eo non haesitare non possent. Post Friderici II. autem expeditionem haec novata esse ut credam, adducor uno loco (XXVI. c. 24 p. 212), ubi postquam Henrici VI. imperatoris cancellarium in Cyprum venisse audivimus, ut Amalrico diadema traderet, hic illi dixisse narratur: „puis que il estoit venus et estoit ou lue del empereor, il voleit que il le coronast:“ tum in C et G servantur: „car il voloit tenir sa terre de l'empereor“ (cf. Fr. Pipinus h. acq. t. s. c. 179 col. 813: „iuravitque Imperatori Romano fidelitatem“), in B et A contra opprimuntur.

Sed de suppositiciis, quos in ABD adhuc potuimus deprehendere, locis haec hactenus. Jam nobis quaerendum est, utrum C et G, qui restant, pristinam operis formam servasse vide-

---

prendre l'ainnée“, G „de toutes .III. as .III. filz l'ains né a l'ains née, quant il seroient d'aage. Por ce dist l'ains né a l'ains née, que se aucuns en morust qu'l ne perdist pas que li ains nez n'eust l'ains née“). Id quod re vera initum esse, docemur Innocentii III. epistola ad patriarcham data (l. a. p. 34: „quod super matrimonio filiorum filiarumque suarum invicem contrahendo, et comitatu Joppensi, quaedam pactio provide facta fuit“). In D (et d cf. Mas-Latrie III. p. 595) haec desiderantur, qui defectus compensatur historiola de Amalrici et Henrici inimicitiis interposita, quorum illum munus comestabuli Hierosolymitani abiecisse, ab hoc istud ad Joannem ab Ibelino, Berytensem illum dominum, delatum esse narratur. Totam fabulam esse iam, quae Mas Latrie attulit, probant. In A et B Amalricus captus ab Henrico esse traditur, illud autem pactum eius modi fuisse, ut solus natu maximus in matrimonium duceret natu, quae extitura foret, maximam (que l'aisné des fiz dou conestable, qui au jor se troveroit, esposeroit l'aisnée fille qui seroit au jor). Interpolator enim probe sciebat, quid postea factum esset. (Cf. Mas-Latrie p. 12 ed. acad. XXX. 15 p. 307.)

antur an genuini imago etiam in his involucro quodam obtegatur. Atque inter se ambos consentire et persaepe ad hunc usque locum tribus reliquis libris oppositos satis vidimus: nihilo tamen minus haud levia inter utrumque exoriri discrimina sentiemus, si accuratius investigaverimus. Pleraque quidem eiusmodi sunt, ut nunc tractare nihil attineat, quum absolvendae hac occasione quaestionis non minus voluntas desit quam facultas: graviora extant duo, de quibus diiudicare iuvat.


Auget enim C librum Hierosolymorum illa descriptio, de qua iam supra sumus locuti, eaque facile intellegitur quam apte ipsa obsidionis funestae relatio illustrari videatur. Roetelanae quae vocatur continuationis compositor disertis ipse professus verbis est illa ad opus amplificandum adscita urbem pingi, qualis non sua fuerit aetate, sed tristibus Salahadini temporibus.[1]) Praeter Roetelanam partem in duobus eadem extat Bernardi codicibus (R et T) et in altero Arnoldi nomine insigni (Z): Bernensis huius liber (Y) ea destitutus dicitur. Destitutum eum appello, etsi etiamnunc mihi additamenta, quibus tales libri in melius mutati exornatique haberi possunt, suspicionem magis movent, quam delectationem afferunt. Sed illam descriptionem in C et reliquis ideo arbitror non complementum recentioris cuiusvis studio additum esse, quia defectum ei, qui illa carent, codices satis indicant. Velut B et A (D hos iam antea deseruit) post verba XXIII. 54 p. 82: „Dont vint Salahadin d'Escalone por aler asseoir Jerusalem,“ statim haec habent (c. 55): „Quant Salahadin vint asseger Jerusalem, il se herberja devant la cité par un juesdi au soir.“ G quidem moleste repetita omittit statimque „un jeudi au soir“ ad

[1]) C. 2 p. 490: „nous dironz coumant ele seoit au jour que li Sarrazin et Salehadinz la conquistrent suer les Crestienz.“ Comp. c. 12 p. 515: „Vous avez oi une partie des Sainz Leuz et des pelerinaiges de la Sainte Terre d'Outre mer, einsinc comme les gens du paiz les moustroient et devisoient au jor que cil granz princes Mahommetoiz, Salehadinz, conquist la Sainte Terre suer les Cretienz.“

superiora adiungit. D item omnia contrahit in „Salahadin se parti d'Escalone, et ala asegier Jerusalem par un jeusdi au soir.“ At quum in talibus semel atque iterum vetustissimus codex B, quamvis tot tantisque locis insiticiis contaminatus, evidentissimum integri habitus praeter C sese testem praestet, hic eum meam opinionem evincere confidenter affirmo.

Non minus alibi C codicis fidem defendendam esse censeo. Heraclii patriarchae nequitiam ac Guilelmi Tyrii necem dum longius explanatas ABD exhibent (XXIII. 38 sqq. p. 57 sqq.), similem, sed magis correptam relationem G (cf. var. ib.) praebet, apud Pipinum talia loco multo superiore et longe, opinor, commodiore reperiuntur, in C omnino desiderantur. Quae caussa — si Buchonium consulimus eadem in Z fol. 16° extare testatum (l. a. p. 501) — facillime tota explicatur. Exposuit enim de illis auctor in parte ad Guilelmi libros in gallicum versos non adiecta, quoniam temporis a CIↃCLXXXIV antecedentis res persequi putabatur: iam exemplum aliquis sive Arnoldi sive Bernardi nactus quae lepide nec sine quadam urbanitate enarrata vidit, arripuit rebusque a. CIↃCLXXXVII interposuit, quae ex parte iam a. CIↃCLXXX acciderant.

Quae nisi si prorsus me fefellerunt, illorum quinque codicum (ut nunc perspici potest) pretium hunc in modum significandum erit:



Itaque in vera ac genuina narrationis forma indaganda soli C idem atque reliquis quattuor credendum huncque

quum integrum opus hucusque lateat maximi faciendum esse iudico.[1])

Interna quae dicuntur argumenta ad refellendam adversariorum opinionem nondum adhibui neque admovebo nisi ad meam sententiam infra magis confirmandam excepto tamen uno eoque gravissimo quidem et quo mihi saltem illa funditus tota erui videatur: istud dico, quod ex loco petimus, qui verum primus auctorem demonstravit. Integrum igitur adponere iuvat secundum G librum, ut quem omnium maxime correptum esse edixerint: „Or vous dirons de Beleén qui à Naples estoit remés. Quant vint à la nuitier, Beleen, si com il avoit en covent au maistre du Temple et de l'Ospital, mut de Naples por aler après eus. Quant il ot erré deux milles, il vint à une cité qui a nom le Sabat. Il se pensa qu'il estoit beau jor, et qu'il n'iroit avant jusque qu'il auroit oi messe.[2]) Il torna à la maison l'evesque, si le fist lever, et parlerent tant ensemble que la guete corna le jor. Lors fist l'evesque revestir un sien chapelain qui li chanta. Quant Beleen ot oi messe si s'en ala grant à l'eure, tant qu'il vint au chastel de la Feue.[3]) Le trova hors du chastel les tentes au covent de Caco[4]) tendues, et ni avoit nulli qui li deist que ce pooit estre. Lors fist un

---

[1]) Utrum Arnoldi an Bernardi codex ei in promptu fuerit, qui Guilelmum primus continuatum nobis prodidit, diiudicabitur, si illos tandem aliquando adire omnibus licuerit. Ut nunc sese res habet, Bernardi advocatum exemplum esse credere malim quam Arnoldi. Unum specimen iam suppeditavit Mas-Latrie II. p. 7 adn. 3: etenim Graecorum in Cypro seditionem coortam esse Arnoldus (in Y) testatur „une nuite, le samedi de la Pasque florie," Bernardus (cf. T et R) „le samedi de la grante Pasque," C p. 187 ed. acad. (cf. Bald. Avenn. in cod. S. Germ. 84) „la nuit de Pasque," G p. 185 „une veille de Pasques", A et B XXVI. 11 p. 190 illam accidisse referunt „par achoison dou marché qui assemble le samedi."

[2]) Fuit, ut paullo supra audimus „le jor de la feste S. Jacques et S. Phelippe, le premier jor de may."

[3]) Satis nota haec arx (Faba, Fula arab. cf. Wilken. l. a. III. 2 p. 231 adn. 146) haud procul a via Neapoli et Sebaste Nazareth vergente sita fuit.

[4]) Nunc Kachun, de quo vico vid. Ritter. Allg. Erdk. XVI. p. 714 cf. p. 596.

sien vaslet[1]) entrer dedens le chatel por enquerre quest ce que pooit estre. Le vaslet entra à chastel, ne nulli trova qui novelles li deist de ce qu'il queroit, fors que deus malades qui gesoient en une chambre, cil ne l'en sorent riens dire. Cil revint à son seignor et dist qu'il n'avoit trové qui rien li en seust dire. Lors alerent vers Nazareth."[2]) Haec igitur vix vocabulis mutatis Baliani comitem (hunc enim reapse Arnoldum fuisse non impugnant) academicae editionis auctores transcripsisse omnia finxerunt, quasi vero bellicosus homo, cui longior taedium afferret enarratio, alius nescio cuius de re a se adolescente visa tantum in modum delectaretur relatione, ut ne unum quidem punctum adderet. Nimirum etiamnunc nobis aliquis existet, qui Arnoldi aequalem et quadamtenus popularem, Jacobum a Vitriaco, simile prodigium admisisse demonstraverit: sed tamen ne huius quidem opinionem perversam[3]) respicere licebit, si animo perpenderis, quantum intersit inter episcopum totius Christianorum exercitus saluti prospicientem et armigerum vix usquam quidquam memoratu digni exsecutum.

Jam uniuscuiusque iudicio caussam committere audeo, ut disceptetur, rectumne Beugnotus senserit Arnoldum communem omnium fontem fuisse ratus, Bernardum contra nihil nisi in

[1]) Huic vocabulo in Z et Y addita sunt illa: „qui avoit a nom Hernoul, ce fu cil qui cest conte fist metre en escrit." Cf. Recueil des hist. des crois. t. I. praef. p. XXIII., t. II. p. V. Ceterum etiam hoc in loco C magis quam reliquos Arnoldianam lectionem conservare video: quippe quod in Z et Y legitur: „Dont Balian d'Ibelin fist descendre un suen vallet..... et l'envoia dedens le chastel," in C est: „Lors fist Balian descendre un sien vallet, si l'envoia...," D contra et B cum A nihil aliud praebent atque G XXIII. 28 p. 42 ed. acad. Talia cognationis signa quamvis levissima eo tamen lubentius arripio, quo rariores de priore Z et Y codicum parte hodieque in auxilium vocari possunt similes notae, de posteriore vero repetita argumenta nescio an illi accomodata esse aut ad rem pertinere quidam negaverint.

[2]) Secutus sum Guizoti editionem (p. 58), quacum comparare licet academicam (XXIII. 28 p. 42).

[3]) Ad solum Wilkenium ablego l. a. VI. p. 142 adn. 18.

superioribus de Guilelmo quaedam mutuatum illius narrationem per biennium produxisse, compositorem denique sive librarium hanc historiam ab auctore sine ulla Tyrii ratione conscriptam gallicae illi interpretationi adiunxisse. Quibus haud vereor ne obstare dici nunc possit, quod nec nomen[1]) auctoris servetur nisi in decurtatis exemplis et amplior quaedam memoriae prodatur explanatio in aliis corporis illius libris, quippe quos corruptos variorumque additamentis inquinatos esse infitias iri nequeat. Quid? quod in amplificandi priorum opera studio multo illa aetate crebriores versantur, quam in angustum redigendi, id satis constare arbitror: nomina autem singulorum scriptorum in eiusmodi operibus ad unum omnia opprimi semel atque iterum ac saepius cernimus. Nonne Rigordo aliquando adtributa sunt, quae Guilelmi Britonis ex latino sermone versa fuerunt? Nonne a Guilelmo Tyrio ea, quae Arnoldus composuit, originem duxisse visa sunt? An Guilelmi nomen clarissimum omnibus innotuit, qui eius libros in gallicum conversos adhibuerunt? Quo illud pacto fieri posset, iam intelleximus. Neque enim illa interpretatio sive singulari volumine divulgata sive cum aliorum sequentium narrationibus iuncta Tyrium archiepiscopum aut in fronte aut in calce auctorem esse ostendit: verum enim vero, si textus latinus interiisset, quis ab auctore, cuius nomen et operam gallicus interpres, licet prolegomena omiserit, non omnino reticuit, opus abiudicaret? Hoc Arnoldus nostris diebus ab eis passus est, per quos clariore in luce qualemcunque positum suumque in ius restitutum iri sperabamus, illa idem sua ipsius tulit aetate per Bernardum, quem aliena potissimum ope nec iusta quadam praeda laudem sibi arripuisse per sex saecula ignorabant omnes. —

[1]) Quod utrum compositor ignoraverit an ipse suppresserit, nihil ad rem facit: nec tamen supervacaneum esse videtur in memoriam revocare Balderici Dolensis exemplum, qui non novit, cuius librum excerpsit, Roberti nomen nunc admodum notum. Cf. p. 85 Bong. „neque visa narravi, sed nescio quis compilator nomine suo suppresso libellum super hac re nimis rusticanum ediderat."

Caput IV.

Restat, ut perscrutandum esse videatur, quidnam Arnoldus secutus sit. Ab ipso autem propositum primis consignari verbis intellegimus hisce:

„Oez et entendez coumant la terre de Jerusalem et la Sainte Croiz fu conquise de Sarrazins sor Crestiens.“ Bella igitur cum Salahadino gesta picturus erat, quae comes cognovit Baliani hominis nobilissimi reique militaris peritissimi. Ex quo et Balduino Ramatensi equite uno omnium praestantissississimo facile poterat audire, quae non ipse viderat. Aptissime incepit a brevi enumeratione regum Hierosolymitanorum, quibus addidit principes,[1]) ut quos sua aetate regibus propemodum potentiores esse sensisset. In locis postea a Saracenis occupatis quo frequentius versatus est, eo diligentius situm eorum ac condicionem delineavit. Balianum, quum Hierosolymorum defensionem suscepit, haud dubie comitatus egregiam et obsidionis et urbis tunc captae descriptionem memoriae prodidit. Quibus rebus Balianus adfuit, de eis fere semper quam optime disserit et accuratissimos quosque scriptores arabicos et christianos, velut Radulphum Coggeshalensem, qui tunc Hierosolymis degit, non modo confirmat, verum etiam explicat. Huius diligentiae documentum iam dixi videri posse subtilem insignium dierum definitionem, qualis post Baliani obitum uno tantummodo in loco occurrit, ubi de Graecorum imperio a Francis expugnato Arnoldus loquitur:[2]) quam ob rem non absonum existimo conicere nisi ipsum at familiarem

---

[1]) „Mais ancois que jeu vos die, vous nomerai les rois et les seigneurs qui furent puis les tens Godefroi de Buillon qui le conquist suer Sarrazins.“ Cf. ed. acad. praef. p. II.

[2]) Cf. Buchon. l. a. et ed. acad. l. XXIX. Supra (XXIII. c. 11 sqq.) ubi de rebus Constantinopolitanis disserit, quamvis in vitia, qualia apud illius temporis scriptores gallicos occurrere solent, inductus sit, haud tamen vulgarem illarum cognitionem praestat. Quam fortasse magnam partem Balduino Ramatensi debuit. (Cf. Mas-Latrie II. p. 23.)

certe eius inter illos centum milites transmarinos fuisse, quos Constantinopolim Balduini imperatoris edicto allectos, sed falsos esse scribit[1]) (p. 492 Buchon. cf. XXIX. 2, 278 ed. acad.). Quibuscum si contuleris verba, quibus Guidonem regem melius suae suorumque saluti prospexisse demonstravit[2]) quam Balduinum (p. 504 B. cf. C p. 188 aliosque ibid.), quasi pro domo eum loqui dices.

Utcumque haec sunt, primariam operis partem eam esse omnes concedent, qua Ibelinorum laus magis efferatur ac divulgetur.

At plus proposito Arnoldus est consecutus,[3]) quoniam rerum narrationem per quadraginta post capta Hierosolyma perditumque Christi quod ferebatur lignum annos perduxit, quoad hoc redditum aequales putarent et urbs illa regia Friderici II. studiis Christianis restituta esset. Nescio an tali argumento discrimen illud explicari apte posse videatur: nempe ut Arnoldi qualem extare nunc arbitror liber in partes seiungatur, ut hodie sese res habet, idoneas proferre caussas vix possumus, quamvis in quibusdam rationem adesse existimem.[4]) Quam quaestionem

---

[1]) „Et quant il vinrent là, si ne lor vaut riens doner; ains se departirent par le tere, et alerent ensanle là où il porent mix faire par le pais.“ Huius expeditionis principes enumerat Godefredus de Villa Hard. p. 117 (ed. Buchon. 1840). „Aveuc oes s'en vint Hues de Tabarie et Raous ses freres, et Tieris de Tenremonde.“

[2]) Et ensi faicierement pueplа li roys Guys l'ille de Chypre. Et si vous di pour voir, que se li roys Bauduin eust aussi pueplé le tere de Constentinoble, quant il en fu roys, que il ne l'eust mie perdue; mais il convoita tout, et il perdi tout, et se tere, et sen cors, et le tere de Constentinoble, dont il fu roys et empereres; et si sachiés bien qu'il en ot malvais conseil.“ Illa verba animum auctoris satis demonstrantia „si vous di pour voir,“ quae in reliquis quos adire licet codicibus desiderantur, nescio an iam Bernardus reticuerit.

[3]) Haud aliud factum videmus in Ansberti relatione de Friderici expeditione composita, de qua comp. M. Buedinger. in comment. gymnas. Austriac a. 1859 p. 388.

[4]) Similia iam dudum sensit Paulinus Paris (les manuscr. franç. t. VI. p. 157 sqq.), rationes tamen nequaquam aperuit. Mihi quidem id quam maxime dubitationem movit, quod aliquot Heraclii libri in a. 1197 vel 1199 desinere

subtiliorem quoniam Mas-Latrie, vir tam amplo adparatu instructus, quam singulari eruditione praeditus sese tractaturum esse promisit, non est, cur hoc loco suscipiatur, praesertim quum nec solvi a me queat et ab hac disputatione aliena sit.

Ut igitur adversariorum iudicium impugnare vel potius nostram sententiam fulcire pergamus, nunc anquirere iuvat, iustene Arnoldi historia transmarina cum gallica Tyrii interpretatione iuncta concinnataque sit an vinculum utrique commune omnino deficiat. Qua in re utriusque auctoris indolem vitaeque rationem omnino differre facile elucet, si contemplamur Arnoldum adolescentem et unius hominis armigerum spectasse ab archiepiscopo Tyrio, sene totiusque regni cancellario, visa et explanata: atque alterius alterum et res dignoscendi et disserendi modum esse non aegre concesseris. Quodsi ambos dolore idem in eo secutos esse confitemur, ut res, quas aut maiores aut aequales in terra sancta bene aut male gesserant, posteritatis memoriae proderent atque exempla futuro tempori et quasi monumenta relinquerent, pro suo tamen quisque ingenio diversa haec ratione studuerunt exsequi. Scilicet eadem, quae in dicendi genere primo obtutu sentitur diversitas, in expositionis inest modo et ambitu. Guilelmus officio functus, quo praeter dies mensesque annos aerae Christianae et regum notare coactus erat, in libris historicis hos ubique adposuit, quum documentorum copia satis ampla praesto esset: Arnoldus ne vulgarem quidem temporis definiendi morem observavit, si quidem codicum auctoritati fidem adiungere licet. Quibus

dicuntur idemque de codice, quem Citri de la Guette adhibuit, affirmat P. Paris l. a. p. 133. In illis annis primi quem credo interpolatoris opera subsistit, quam rem, si ad illam opinionem accesseris, multo facilius enucleari dices, quam antea a me factum esse videtur. Huc accedit, quod Marinus Sanutus ab initio codice non ut DBA corrupto usus ab Amalrici morte prorsus conspirat cum B et A. quod argumentum, quantum equidem video, non potest removeri, nisi plures deinceps libros vel aliquem melius quam G et D isterum B et A virtutibus amplificatum illi praesto fuisse indicamus.

diligenter conlatis in omnibus locis annos recentiorum manibus adscriptos hocque genere magnopere corruptos esse facile nobis persuadetur. Ac D quidem quam formam exhibet, ea profecta videtur ab homine, quem annalium habitu ac specie delectatum esse in aperto est. Eius studio ubique numeros modo rectos modo falsos irrepsisse facile liquet. B et A similibus vitiis inquinatos iam supra demonstravimus, eique complura etiam ut D habent. Nec G quidem talibus caret additamentis, quae posteriori cuipiam deberi consentaneum est, quum illum librum in aridos annales exire constet. C ex quinque codicibus integerrimus est. Secutus igitur Arnoldus est non annorum seriem, sed rerum quendam connexum, quem quum suo propositum animo servaret, factum est, ut narrationis ordo alius existeret atque apud Guilelmum reperitur aptoque utrumque loco iungere compositor vix posset. Adiunxit, ut in liquido est, Arnoldi partem ad postrema interpretationis verba. Quae de Balduino rege Guidoni irato a Guilelmo scripta (XXIII. 1) interpres ita vertit: „si manda le conte de Triple, et parce qu'il se fioit en son sens et en sa loyauté, tantost li bailla tot le pooir et toute la baillie dou royaume.“ Haec et quae sequuntur satis demonstrant Guilelmo rem absolutam esse visam. Arnoldus tamen ipsa in parte illis addita longus est in exponendis eis, quae de magistratu Raimundo concedendo inter illum regnique nobiles acta sunt, nec prudentiori quidem compositore cuidam saec. XIII.[1] librario[1]) rem ita instituere licebat, ut bene omnia procederent. Extant enim plures alii loci, quos non solum ingratam repetitionem continere, verum etiam ab ipsa Guilelmi narratione tantum in modum discrepare dices, ut excipiendi consilium ab auctore prorsus abfuisse nemo negare posse videatur. Velut iam l. XXII. c. 25—28 Guilelmus, quid odii inter Balduinem et Guidonem

[1]) In G et, ut videtur, in libris aliis haud paucis ommittuntur duo prima ed. acad. (XXIII. 2, 3) capita: suaeque melius, ni fallor, caussae consuluissent editores, si hac auctoritate nisi eiecissent.

exorti caussae fuerit, planissime enarravit, ab Arnoldo relatum redit XXIII. c. 3 p. 5 sq. ed. acad., Amalricum divortium facturum (XXIII. c. 3) iam audivimus XIX. 4, Balduinum V. diadema accepisse Arnoldus, qui nescio an cum Baliano interfuerit, XXIII. c. 5 pluribus explanat re a Tyrio iam XXII. 29 absoluta,[1]) de Andronico et Alexio Manuelis Comneni filio XXII. 13 Guilelmo, XXIII. 12 Arnoldo auctore agitur. Hic (XXIII. 2) narrat Balduinum IV. vivo Balduino III. patruo diadema accepisse, ille de isto, quem nihil nisi alterius cognatum fuisse novit (XIX. 4), nusquam quidquam simile habet. In quibus locis omnibus gallicum auctorem non alius iudicium secutum esse apparet, nisi domini. Quod quanticumque facimus, supervacanea tamen post Guilelmum multa compositorem admisisse nemo est qui neget. Altera contra in parte idem quaedam oppressit, quae pleraque lepide narrata, ex parte etiam fide digna sunt. Satis enim Pipini opus e Bernardi thesaurarii quodam codice repetitum demonstrat sua vel in superiore particula atque a Tyrii expositione haud raro diversa Arnoldum rettulisse. Et illa[2]) quidem quae vera esse non possumus non infitiari eorum, qui de fabulis in terra transmarina ortis inde per totam Europam divulgatis a carminum compositoribus lubentissime arreptis quaerunt, plurimi intersunt. Reliqua tamen cum Guilelmo et aliis testibus comparata accipere suumque in usum convertere ne historici quidem dubitabunt. E Pipino talia iam percepit Wilkenius, multo maiora ex Arnoldi libris percipi posse Buchonii aliorumque testimoniis nisus confidenter affirmo. Ideo sperare hoc loco ausim fore ut ex academiae Parisiensis auctoritate genuina illa quae adhuc latent et integra monumenta quam celerrime in luce ponantur, quo facto neminem extiturum esse arbitror, quin grate agnoscat, quam recte dici soleat:

bis dat, qui cito dat.

[1]) Haec iam Wilkenium offenderunt. (Cf. hist. bell. sacr. III. 2 p. 240 adn. 166.)

[2]) Cf. Pipin. c. 135 col. 772 c. 145 col. 780. Vid. etiam Mas-Latrie l. a. II. p. 22 sq.



